Ex libris,
Museo - Dr. Ch. Blondin.
1860.

A. XXVIII. n

49524/B

STAHL, G.E.

Defence against the criticism of G.W. Leibniz

33/82

33157

GEORGII ERNESTI STAHLII
NEGOTIUM OTIOSUM,
SEU
ΣΚΙΑΜΑΧΙΑ,

ADVERSUS
POSITIONES ALIQUAS FUNDAMENTALES,
THEORIÆ VERÆ MEDICÆ
à Viro quodam celeberrimo
INTENTATA,
SED
ADVERSIS ARMIS CONVERSIS
ENERVATA.

Πολλοῖς ἀντιλεγεῖν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως,
Ὀρθῶς δ' ἀντιλεγεῖν οὐκ ἔτι τοῦτ' ἐν ἔθει.

QUI POSSUNT, SI VOLUNT, JUDICANTO; QUI VOLUNT,
SED NON POSSUNT, ABSTINENTO.

HALAE,
LITTERIS ET IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, M DCC XX.

33182

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

OCCASIO SCRIBENDI.

QUum volumen, quod Theoriæ Medicæ veræ nomine inſignire jus fasque duxeram, in publicum prodiiſſet, pervenit, altero forſan anno, in manus Celeberrimi Viri, qui, ut ex allegationibus apparet, non ita magno paginarum numero perluſtrato, varia illic Dubia, ſive invenit, ſive ſibi formavit: quæ Illuſtris proſapiæ Viro eum in finem aperuit, imo ſcripto comprehenſa commiſit, ut ego, non tam de illis, quam illis ipſis, admonitus, ſententias aliquas, dicto meo ſcripto non ſolum prolatas, ſed fundamenti loco, maximam partem, ſubſtratas, mutarem: ſpecioſo illo prætextu, quod citatis illis meis aſſertionibus, uti certiſſime, ipſius opinione, naturali; ita, per bonam conſequentiam, ipſi revelatæ Theologiæ aliquid præjudicii objici, aut intentari, non poſſet non videri. Non defuit huic poſtulationi Vir Generoſiſſimus, quin Dubitationum illarum exemplar mihi transmitteret; tanto magis, quum etiam ſingulari favore me jam pridem dignatus eſſet: &, quo eſt, in omnem veritatem, tanto magis autem Theologicam, ſtudioſiſſimo affectu, talis etiam in hoc negotio enucleationis, ipſe quoque ſuaſor & promotor fieri, cordi haberet. Quum Dubitationes illas perlegiſſem, ante omnia apparebat, quod minus opportune, ſi non captata, tamen capta, occaſione, ex, obiter facta, volutatione magis, quam evolutione, Theoriæ meæ, conceptæ fuerint: e pleniore lectione, & attenta penſitatione, ad minimum Phyſiologicæ partis, ſufficientem diſcuſſionem citra omnem difficultatem aſſecuturæ. Accedebat ſumma penuria temporis, negotiis minus neceſſariis nullo jure impendendi; & ſpes nequaquam friuola, quod, ſi modo Vir

celeberrimus tantundem temporis, quantum Dubiis his in chartam conjiciendis impenderat, ulteriori lectioni tractatus mei dicare, non graue duceret; e juſtis deductionibus ibi obſervatis, tanquam ſponte diſparituræ eſſent omnes, aut certe præcipuæ, difficultates. Accedebat, quod bona & ſincera fide profiteri poſſum, perpetua, usque ad hoc tempus amplisſima exiſtimatio, quam de ſolida hujus Viri eruditione conceptam ſervaveram: quæ ſuadebat ſperare, omnia prædicta, modo attentior lectio placuiſſet, citra ullam ulteriorem difficultatem, quaſi ſponte ita eventura. Quid, quod revera animi pendebam, ne ſimplici, certe ſimplicisſimarum veritatum, prolixiore commemoratione, non nauſeam ſolum moverem; ſed, prorſus odioſe, viderer velut abſonam informationem affectare, circa res tam planas atque ſimplices. Quum autem, præter omnem talem ſpem, admonerer, expectari omnino reſponſionem; dedi hoc exiſtimationi Viri celeberrimi, ut hanc utique conſcriberem; ſed certe, uti non ſine aliquali faſtidio, tanquam facem in pleno meridie accendendi: ita, inter plures, amplioris uſus, occupationes, magis ſecundum Dubitationum propoſitarum filum, quam alium magis exquiſitum ordinem. Non certe, ſine prolixitate aliqua; ſed etiam non ſine juſta cauſa: in eo maxime fundata, quod ipſæ Dubitationes, maximam partem, ita generales afferrentur, ut non poſſent ad ſcopum propiorem revocari, niſi bene reſtricta, indeterminatæ ſuæ latitudinis licentia. Nequaquam autem disſimulo, deſideraviſſe me, plus ſimplici vice, juſtarum ſubſumtionum & illationum nexum; & dubium hæſiſſe, an non potius explorandi cauſa, an ego connectere ſcirem, varia ita perplexe allegata eſſent, quam legitimæ diſceptationis ſcopo. Quamvis autem disſimulare non posſim, quod hæ circumſtantiæ, opinionem, quam, ſincera veritate teſte, de Viro celeberrimo usque ad hoc tempus formatam fovebam, non parum turbaverint; indulgebam tamen bonæ ſpei, fore, ut, mentem meam diſertius expromendo, tanto facilius Dubitationes illæ ceſſaturæ eſſent, ſi ad illas ita immediate reſponſio exhiberetur: quam ſi ad prolixiorem lectionem ſcripti mei Tractatus provocarem. Impendi itaque decem aut duodecim dierum tempus huic propoſito; ſcripſi, præter morem, propria manu, ea, quæ præſente faſciculo exhibentur. Formaveram quidem propoſitum, concinniore, brevi, & nervoſo ordine, & ſuccincta methodo, e diſper-

ſperſis atque vagis his Dubitationibus, verum ſtatum controverſiæ elicere, ad ſua capita reducere, adeoque cardinem diſſenſus, liquido detectum, aggredi, evolvere, & in juſtas directiones convertere. Quum autem hic modus procedendi, qui hodie ſunt mores, ſcholam ſapere videri potuiſſet; &, prout res ipſa monſtrat, Dubitationes ipſæ, ipſo, inquam, facto, plane diverſam viam inſiſtentes, monerent, magis placuiſſe laxiorem, (de qua moderni Galli ſuum Cavallierement uſurpant,) diſcurrendi potius, quam diſputandi, methodum: viſum hinc eſt conſultius, etiam huic inſtituto animum ſubmittendo, oſtendere, quod, Dno Autori gratificandi, occaſionem nullam aſpernari in animum induxerim. Elabebatur ita, niſi me memoria fallit, alter jam annus, ut, juxta proverbium, qui tacet, conſentire videri poſſet. Submittebantur autem de novo Exceptiones, longe minus, quam prægreſſæ Dubitationes, ullo inſtructo agmine, aut ſervato ordine, ad caput aut fundum diſſertationis, diſcurrentes & incurſantes. Niſi quod unus manipulus, tanquam magis ordinatæ militiæ, & veluti veteranorum in illa gente, certo poſt principia, induceretur: Qui nempe XXI demum phalange incedit. Armis certe iisdem inſtructus, quibus mea gens: ſed plane diverſa diſciplina. Nempe, dum e meo latere ſtaret, principium active-motorium; incorporeum: quod Actum ſuæ indoli parem, nempe pariter incorporeum, exercere posſit, & omnino ſoleat: & hunc Actum exerceat in materiam corpoream, nempe in corpora, antiquisſimo conſenſu, animata, & adhuc eminentius, animalia, appellata: Proferuntur in Exceptionibus, dicti numeri, tantisper gemina, (licet non argumenta, tamen) armamenta; Principia active-motoria, etiam diſerto Edicto capitali prohibita, ne corpoream chlamydem geſtent: principia, inquam, motoria, omnino incorporea. Ego Motum ut rem incorpoream produxeram; adverſa pars videri poſſet adverſarium objicere, Motum, ut rem numquam exiſtentem, ad delectum citans: Sed quomodo res numquam exiſtens pelleret loco meum, utcunque levis armaturæ, quin plane deſultorem, imo Parthorum dexteritate, etiam in fuga pugnacem, militem? Quomodo enim res numquam exiſtens, adeoque rotunde eloquendo, NIHIL, non eſſet incorporeum quid?

Quicquid autem horum ſit, propterea certe non tollitur aut

 ceſſat

ceſſat pugna. Mihi quidem ſtatarium eſt pugnæ genus; illic variæ procurſationi deſtinatum. Mihi nempe unus Motor, toti alicui ſyſtemati recte regendo, ſufficit: Illic autem, e multitudine in infinitum infinita, quilibet unus miles quemlibet unum habet Motorem, gubernatorem, Imperatorem. Ne tamen quidquam ſtratagematis inſtruere videri poſſim, ingenue potius fatebor, non ſatis æquo jure me hic modo nominaviſſe, quemlibet unum adverſæ partis militem. Quum Exceptio, numero 30. diſerte repudiet, omnem unum militem. Monades, inquit, phyſicas, ſeu corporeas, non dari, ſatis edictum (oſtenſum) eſt. Corrigo itaque vocem, quilibet unus; & ſubſtituo, ſinguli quilibet. Si vero hic etiam, ut in hujus inſtituti, certe tumultuaria, pugna, a me, tanquam adverſa parte, prorſus nullæ conditiones placeant; habeat ſibi certe, non exiſtentes res, pro qualibus declarantur Monades phyſicæ: non exiſtentem rem, pro qua declaratur Motus: & agat Monas non phyſica, Monas activa, una Unitas; in rem non exiſtentem, effectum non exiſtentem. Aut, ſi non habeat veras ſingulas unitates, in quas, ut unitates, agat ipſa Monas, ut etiam Una; agat per me in omnes: quandoquidem e ſingulis non exiſtentibus, conflatum etiam quantumcunque OMNE, ipſam illam Monadem activam numquam poterit fatigare.

Hæ ſive turmæ, ſive turbæ, quum ſtatarium meum militiæ genus loco ſuo pellere certe numquam auſuræ ſint; de cauſa belli cavendum eſt, ne, ſi ego pugna, (ut Plautinus ille Soſia, pugnis) plus valeam, juſtitia, adeoque æquorum arbitrorum judicio, vincar. Prætexitur diſceptationi univerſæ ſpecioſus titulus, certe ad jus omnium gentium pertinens, de Finibus. Aſſertio mea, quod anima humana, (ut ens incorporeum,) dicatur habere poteſtatem, corpus, cum quo eſt, movendi; toti naturali, & per non tam indicatam, quam ſolum nominatam conſequentiam, ipſi revelatæ Theologiæ detrimentum intentare inſimulabatur. Hoc ſi ita ſe haberet, quomodo, quæſo, tale detrimentum averruncarent, in infinitum-infinitæ, Monades incorporeæ, in infinitum-infinitis, & in infinitum-numquam ſingulis corporibus, non ſimpliciter aſſiſtentes, aut illa, ſine ulla interruptione percurſantes: ſed ſingulæ hæ Monades, ſingulis, (ſed non monadice-ſingulis) inſeparabiliter inditæ, & abſolute propriæ. Aut, numquid periculum hoc, quod utrique Theologiæ metuitur, in ſolidum extinguetur numero illo 18vo Exceptionis

XXImæ:

XXImæ: quod animæ non minus brutorum, quam humanæ, per conſequentiam Autori propriam, omnes ſint indefectibiles, Animæ, inquam, brutorum, qua tales. Cur non autem omnes animæ, quemadmodum eadem Exceptio, Entelechiam omnem ampliore ſenſu animam appellari poſſe, profitetur numero 16. ejus Exceptionis.

Numquid autem ultra, periculum illud ſuſpectum penitus infringet, hoc eodem numero prolata ſanctio: quod nulla anima ſeparata eſſe poſſit a corpore. Et ultra, ſi per numerum 18vum animæ ſunt indefectibiles; & tamen numquam eſſe poſſunt ſine corpore, per numerum 16tum: numquid non hac eadem ratione corpora omnia erunt indefectibilia?

Additur quidem vocula: naturaliter, nullam animam naturaliter eſſe ſeparatam ab omni corpore organico. Ut non urgeatur nexus ad prædicta; num per hanc Voculam indicatum eſſe debebit, animam ſeparatum iri poſſe alio modo, quam naturali? &, ſi hoc ſupponatur, demonſtrabiturne Theologia naturali; aut e Religione: & inſuper ita, ut hæc non, (in religione) fide, ſed ratione niti poſſint, imo debeant? juxta numerum 19num ejuſdem Exceptionis.

Me certe numquam pudebit, confiteri, imo profiteri, quod ego ex univerſis his velitationibus, neque copiis meis, neque cauſæ meæ, numquam quidquam metuendum proſpicere poſſim. Unde intrepide ſto pro meis, ſtent alii pro ſuis.

Ceterum ad Exceptiones illas trahere potius bellum hoc otioſum, quam equo loco acie decernere, innuentes, quidquam ultra movere, juſtisſima ſecuritate neglexi. Cum autem Fautores, quibus honorem & officia debeo, totius hujus disſidii non ignari, poſtulaverint, ut illud tandem publico arbitrio permitterem: & ſatis appareret, quod, ſi vel maxime nullum inſigne commodum, ut ipſe ego primus cenſeo, tamen etiam nullum, nec periculum, neque detrimentum, inde timeri posſit: nullam rationem invenire potui, quamobrem ipſorum deſiderio deeſſem. Adjeci itaque adhuc monita aliqua, etiam ad ipſas Exceptiones; & exhibeo totum liberaliter; optans, ut eodem modo, quod de æquis & prudentibus lectoribus non habeo, cur dubitem, accipiatur. Ornatum nullum habet; juxta tritum illud: ornari res ipſa negat, contenta doceri: & numquam hæc me cura anxium habuit, contentum unice intelligi ab intelligentibus. Quæ ſpes, quum me numquam, ad hunc diem, deſtituerit,

tuerit, neque nunc etiam incertum habeo animum. Quicquid autem horum eveniat, ego certe numquam etiam in primaria ſuppoſitione conſentire potui, quod totum hoc negotium tanti ſit momenti aut ponderis, uti Dubitationes innuebant.

Nemo autem certe Vir probus atque prudens occaſionem inveniet ſuſpicandi, quaſi ego, circa totum hoc negotium, anſam arripere, nedum quærere geſtierim, cum Viro celeberrimo, quod eſt in proverbio, ſerram contentionis reciprocandi. Nihil illorum, quæ ille ſcripſit, non ſolum ad illum diem videram; ſed & in hodiernum usque tanto magis abſtinui inſpicere, ut tanto ſincerius proteſtari valerem, nihil contentionis adverſus ipſum mihi in mentem veniſſe. Cogitationes ejus, Theoriam Motus abſtracti reſpicientes, ante hos triginta quinque annos inſpexiſſe recordor; ſed quum ad ipſius mentem pluscula comprehendere non poſſem; minime omnium autem ullam ideam Motus in abſtracto: ſepoſui ſcriptum. Quod ingenue teſtor, mecum reputans, quod vires ingenii mei magis in culpa eſſe poſſint defectus comprehendendi, quam tractationis ἀκρίβεια. Poſt illud tempus nihil ultra ex illa manu veſtigare ſuſcepi. Ipſe vero Vir celeberrimus prolixius meum ſcriptum, & mox inde a primoribus paginis, non ſolum Dubiis, ſed prorſus offendiculis adverſus utramque Theologiam, obnoxium arbitrari ſuſcipiens, & omnino retractationes neceſſarias fore, decernens, neceſſitatem eo ipſo mihi injunxit; ante omnia ſuſpiciones illas declinandi, tum etiam ſententiam meam, quæ primis illis, quas allegat, paginis, nequaquam ita tota, tanquam ex inſtituto, deduci potuerat, uberius declarandi. Ubi tamen fieri aliter non poterat, quin, ductu ipſius Domini Autoris, paſſim allegatas ſententias, quas in mearum locum ſubſtituere neceſſarium decernebat, etiam, quoad fieri poterat, perpenderem, & nervum illarum ſcrutarer. Ubi quum aliquoties, quantum ego quidem perſpicio, ad fundum totius Dubitationis, ita perplexa mihi appareret applicandi ratio, ut neque 1) Theologiæ utrivis, plus compendii: neque 2) diſtincte intelligendi ſcopo plus lucis, inde affulgeret: ſed potius, manifeſta multiplicatione ſupponendorum novorum entium, (in infinitum usque) difficultas creſcere appareret: non potui, ſemel iterumque, penitus ſupprimere faſtidium, quod, in ſimpliciorum mearum poſitionum ſtationes, ſeſe ingerere connitentes tales opiniones, mihi movebant; Salvo de reliquo omni perſonali reſpectu, exiſtimationis & honoris Dni Concipientis. Confido vero, rem ipſam magis, quam ullam meam obteſtationem pro hoc intuitu, locuturam eſſe, ubicunque nullius præoccupationis ſtrepitu impeditas, ſed liberaliter & ingenue liberas aures, perſpicaces oculos, & æquos animos, invenerit: de aliter affectis non laboro.

DUBIA,

ſive, ut vult Dn. Autor,

ANIMADVERSIONES,

Circa

ASSERTIONES ALIQVAS

THEORIÆ MEDICÆ VERÆ.

I.

INter prima Ratiocinationis principia eſt: Nihil eſſe ſine Ratione, ſeu nullam eſſe Veritatem, cujus ab eo, qui perfecte intelligit, ratio reddi non poſſit; ut ſcilicet appareat, quomodo ex veritatibus natura prioribus oriatur, ſi ſcilicet ipſamet primitiva non ſit, quales ſolæ ſunt identicæ aut illis pares.

II.

Hinc Conſequens eſt, omnem rerum affectionem, omnem in rebus eventum ex ipſarum Natura ſtatuque poſſe derivari; & ſpeciatim, quicquid in Materia evenit, ex præcedenti materiæ Statu, per leges mutationum oriri. Atque hoc eſt, quod volunt aut velle debent, qui dicunt, omnia in corporibus Mechanice explicari poſſe.

III.

Finge, eſſe aliquem, qui in Materia ſtatuat vim quandam attrahendi primitivam ſeu ἄῤῥητον, is contra magnum hoc Ratiocinationis principium peccabit. Fatebitur enim, non poſſe explicari, ne quidem ab omniſciente, quomodo fiat, ut Materia aliam Materiam, & hanc præ illa, attrahat. Et revera ad miraculum tacite recurret; neque enim aliter hoc caſu attractio explicari poterit, quam ſtatuendo, Deum ipſum efficere, præter rei naturam, peculiari providentia, ut materia, quæ attrahi debet, ad alteram tendat. Quod ſi vero Explicatio ex rei natura intelligibiliter petenda eſt, ex iis derivabitur, quæ in ea diſtincte concipiuntur, nempe in Materia, ex figura, & motu, in ea exiſtente; quo ipſo apparebit, attractionem manifeſtam nihil aliud revera eſſe, quam impulſionem occultam.

At vero, etſi in Materia omnia explicentur Mechanice, non tamen omnia in ea explicabuntur materialiter, hoc eſt, per id, quod in Corporibus mere paſſivum eſt; ſeu per principia mere mathematica, Arithmetices nempe & Geometriæ. Atque hoc eſt, quod oſtendi alicubi in diario Gallico, ſi meras leges mathematicas ſequeremur, corpus quieſcens, quantumvis magnum, non poſſe reſiſtere moto, quantumvis parvo, ſed ejus incurſu abreptum iri, aliaque multa, quæ prorſus a phænomenorum veritate abſunt.

Itaque demonſtravi, ad Actiones (an omnium?) corporum non tantum principium materiale, ſed etiam formale requiri, quod alicubi Entelechiam primitivam appellavi; cujus ex modificatione oritur figura. Quin etiam oſtendi, ut principium materiale alligatur ad Regulas Mathematicas, veluti ut totum ſit majus parte, ut æqualia eidem tertio ſint æqualia inter ſe: ita principium formale alligari ad Regulas Metaphyſicas, quales ſunt: ut Effectus non ſit potentior cauſa, ut nihil finitum agat ſine paſſione a reagente, aliaque hujusmodi, phænomenis pariter, ac rationi, conſentanea.

Et proinde licet omnia in Materia fiant Mechanice, tamen ipſas mechanismi leges altiores eſſe oſtendi, & ex Mate-

ria

ria non oriundas, quemadmodum ex iis intelligi pluribus poteſt, quæ paſſim notavi in Actis Eruditorum.

Cauſis internis Eventuum corporeorum, Materiæ ſcilicet & Formæ, ſeu Maſſæ & Entelechiæ, accedunt cauſæ externæ, nempe efficientes & finales. Et quidem Cauſas efficientes concedunt philoſophi omnes: ſed finales negant Epicurei, & horum ſequaces; qui putant, inter innumeras alias combinationes Materiæ quasdam caſu contigiſſe cæteris commodiores, atque ita animalia eſſe orta; & oculos non ſtructos eſſe viſus gratia, ſed videre animal, quia evenit, ut oculi apte ſtructi eſſent. Verum enim vero, hæc Sententia, ex altioribus quibusdam principiis de rerum ortu & περιχωρήσει, demonſtrative refutatur.

Efficientes cauſæ ſunt duplicis generis, particulares cauſæ Motuum Materiæ præſentium conſiſtunt in ſtatu præcedente materiæ; & in quovis corpore, cum ipſius ſtatu, concurrit ambientium ſtatus. Sed quia præcedens ſtatus rurſus deducendus eſt ex alio adhuc anteriore, & hic rurſus ex anteriore, qui & ipſe alio adhuc anteriore indiget; ideo etſi in infinitum procederes, nunquam rationem invenires, quæ non rurſus ratione reddenda indigeret. Unde ſequitur, rationem rerum plenam in particularibus reperiri non poſſe, ſed quærendam eſſe in Cauſa generali, ex qua non minus ſtatus præſens, quam præcedens, immediate emanat, nempe in Autore Univerſi intelligente, cui hæc placuit ſeries rerum, præ aliis infinitis, quarum Materia capax erat.

Quia igitur Autor rerum omnia intelligit, ideo omnia agit cum ordine ſeu ad Finem. Itaque duplices itidem oriuntur cauſæ finales, particulares & generales. Particulares apparent inprimis in Machinis naturæ, ſeu corporibus viventium, organicis, quæ ſunt Machinæ divinæ inventionis, ad certum genus operationum comparatæ, & in nobis quidem ad Ratiocinationem exhibendam, habentque illud præclarum machinæ divinæ, ſuper eas, quas nos invenire poſſumus, quod illæ tueri ſe ſibique ſimile producere poſſunt, quo magis ſcilicet deſtinata operatio obtineatur.

Licet autem præter Machinas naturæ multa videamus opera, quæ rudia ſunt & ruderibus ſimilia, in quibus non apparent fines ſpeciales: dubium tamen nullum eſſe debet, Deum autorem ſpectantibus, ipſa quoque ad fines ſpeciales (etſi nobis ignotos) exquiſitiſſime ordinata eſſe, & omnia concurrere ad finem generalem, qui eſt Harmonia rerum.

Imo ſentio, in ipſis ruderibus utique Machinas naturæ abditas eſſe, cum a Sapientiſſimo Autore nihil inordinatum proficiſci poſſit, nec magis confuſa eſſe interiora in Ruderum maſſis, quam confuſa ſunt in piſcina, etſi non niſi rudis ibi aquæ Maſſa & confuſa appareat in ejus oculis, qui, eminus intuens, piſcium in Aqua natantium multitudinem ignorat.

Ex his duplicem, eumque perfectiſſimum parallelismum conſtituo: unum inter principium materiale & formale, ſeu inter Corpus & Animam; alterum, inter regnum cauſarum efficientium, & regnum cauſarum finalium.

Parallelismum inter Corpus & Animam continet Syſtema Harmoniæ præſtabilitæ, quod produxi primus. Etſi enim fons omnis Actionis proximus ſit in Anima, ut Paſſionis in Materia; non tamen putandum eſt, animam, per ſuas operationes inſitas, perceptionem ſcilicet & adpetitum, vel minimum Corpus a legibus ſuis Mechanicis dimovere, ſed potius ſecundum eas operari, omniaque ita ab initio conſtituta eſſe a Deo, animas corporaque creante, ut ſeriei perceptionum in Anima perfecte reſpondeat ſeries motuum in Corpore; & viciſſim.

Et quemadmodum omnia in Creaturis, quatenus aliquid perfectionis continent, a Deo emanant, & tamen in naturali rerum curſu omnia per leges naturæ ex ſtatu præcedenti in ſtatum ſequentem derivantur, Deo ab initio omnia ſapientiſſime conſtituente, ut catena quadam aurea ex ſe invicem naſcantur: ita in Corpore organico viventis, cui Anima tanquam rector peculiaris præeſt, etſi omnis actionum fons ſit in anima, nihil tamen fit præter Corporis leges; uti viciſſim nihil in anima, niſi per proprias leges, oritur, etſi fons paſſionum ejus ex Materia oriatur.

Itaque

Itaque quando anima vult aliquid cum ſucceſſu, machina ſponte ſua ex inſitis motibus ad hoc agendum inclinata parataque eſt; & viciſſim, cum anima percipit corporis mutationes, non a Corpore leges animæ turbante, ſed ex ipſa ſerie perceptionum præcedentium (ſed confuſarum) novas haurit.

Quod niſi ita eſſet, peccaretur continue in magnum illud ratiocinationis principium initio poſitum. Neque enim explicari poſſet a quoquam, quomodo ex perceptionibus animæ oriantur in Materia figuræ ſitusque, aut quomodo ex his in Anima perceptiones naſcantur.

Cauſa ergo conſenſus in Deo quærenda eſt, non quaſi eum nove producente (ut volunt autores Cauſarum occaſionalium) legesque rerum turbante, ſed ab initio dante tam animæ perceptiones, quam corpori motus, ita coordinatos, ut Anima ſit eſſentiale corporis repræſentativum, & ut Corpus ſit eſſentiale animæ inſtrumentum.

Atque hoc modo fit, ut omnium naturalis ratio reddi poſſit in Anima corporeque, dum ſtatus præſens Corporis ex ſtatu præcedente naſcitur per leges cauſarum Efficientium, & ſtatus præſens animæ ex ſtatu præcedente naſcitur per leges cauſarum finalium. Illic ſeries motuum, hic ſeries appetituum locum habet: illic tranſitur a Cauſa ad effectum; hic a fine ad Medium. Et revera dici poteſt, repræſentationem finis in Anima cauſam efficientem eſſe repræſentationis Mediorum in eadem.

Atque ita a parallelismo inter cauſam materialem & formalem in viventibus, ſeu in naturæ Machinis, deducti ſumus ad parallelismum inter Efficientes & Fines. Et licet iſte in Rudibus maſſis non æque ſenſibus appareat, non minus tamen locum habet, agnoſciturque ratione, & quidem generali a priori, ex Sapientia ſcilicet Autoris: ſed tamen & experimento, paſſim ratione adjuto, a poſteriori; ne quis finium uſum ſoli viventium Mechanismo proprium, in ruderibus autem, & generaliter in Corporibus non organicis, inutilem putet. Etſi enim nulla ſit materiæ pars, in qua non lateat

Corpus vivum ſeu organicum, non ideo tamen Maſſa ipſa ſemper viva animative eſt, quod jam exemplo piſcinæ declaravimus, quæ animalibus abundare poteſt, ipſa animal non eſt. Interim hæc ipſa rudis in ſpeciem Maſſa perfectiſſime ad ſuos pulcherrimos fines a Deo adaptata, &, ut ſic dicam, tornata eſt: etſi impoſſibile ſit, ut hæc omnia a nobis perſpiciantur. Et in nonnullis qualitatibus generalioribus, quæ ratiocinationis noſtræ ſunt patientiores, etiam generalis quædam finium obſervatio ſeſe præclare oſtendit.

Quantus ſcilicet uſus ſit cauſarum Finalium Naturæ, etiam ubi de Corporibus vivis ſeu organicis non agitur, oſtendi aliquando ſpecimine optico, Actis Eruditorum inſerto, cui non mediocriter apud Exteros quoque applauſum eſt. Oſtendi, inquam, poſſe arcanas quasdam magnique momenti veritates ex Conſideratione cauſarum finalium erui, quas ex cauſis efficientibus eruere difficile foret; quoniam aliquando manifeſti ſunt fines naturæ, media autem efficientia ſunt occulta; idque in Exemplo adducto, quod ſcientiæ opticæ fundamentum facit, egregie elucet. Nondum hactenus pro certo affirmare poſſumus, ita exacte nobis cognitam eſſe naturam radiorum lucis, ut ex cauſis efficientibus reddere rationem poſſimus legum, quas radii in reflexione refractioneque obſervant; & quæcunque in eam rem protulere viri ſummi, Keplerus, Carteſius, Hugenius & Newtonus, partim difficultatibus implicita, partim hypothetica magis quam comprobata ſunt. Sed adhibita Cauſa finali mira facilitate prodeunt leges, quas Experientia comprobat. Hoc enim ſemel poſito, Naturam id agere, ut a puncto dato ad aliud datum radius ducatur via facillima; ſequitur, radios in eodem medio progredi linea recta, reflecti ad Angulos, incidentium Angulis æquales, refringi in ſinuum ratione. Ita ignoratis arcanis naturæ proceſſibus, tamen ex conſiliis ejus maximo cum fructu indagamus pulcherrimas, quibus utitur, leges.

Eodem ergo Artificio ſpes eſt, multa in œconomia animali & praxi medica detegi poſſe, ſpectando uſus partium & fines naturæ. Etſi enim effecta oriantur ex inteſtinis motibus

ſtru-

ſtructuraque machinæ: tamen quia horum interiora ignota ſunt, facilius ex finibus, quam ex Mechaniſmo, divinari poſſunt.

Atque in hoc videntur aliquid jam vidiſſe Veteres, cum Naturam dixerunt nihil fruſtra facere, ſed tendere in finem; aliaque ejusmodi, quæ male reprehenderunt recentiores, quaſi nihil aliud ſit natura Corporum quam Mechanismus: parum conſiderantes, Deum Autorem omnia ad fines direxiſſe, ipſasque animæ actiones corporeis actionibus perfecte conſentire; animam autem perceptione & appetitu uti. Ita fit, ut ex Autoris Scopo & animæ appetitu effectus prævideri posſint, quorum in Corpore cauſæ proximæ efficientes non ſatis explicatæ habentur.

Huc pertinent Naturæ plaſticæ, quas dudum Philoſophi & Medici agnoſcebant, non ita pridem autem præclaro opere Cudworthus reſuſcitavit, cujus interpretem doctiſſimus Clericus egit. Ubi quidem errarunt, qui putarunt, tantam ſive animæ Corpus ſibi ſtruentis, ſive neſcio cujus alterius fabricæ Præſidis, Sapientiam potentiamque eſſe, ut divinam animalis Machinam excogitare & exequi poſſit. Nam Artificii Succeſſus divinæ præformationi debetur. Interim veriſſimum eſt, animam, itidem præformatione divina huic operi accommodatam, perceptione & adpetitu ſuo perinde agere, ac ſi unice Corpus formaret, ita ut in anima intueri liceret, quicquid fit in formatione Corporis, ſi quis eam ſatis introſpicere poſſet.

Et licet anima quoad diſtinctos ſuos conceptus valde limitata ſit, ut adeo nec intellectu ſuo conſequi tam admirandum opus, nec electione voluntatis regere poſſit; perceptione tamen confuſa & appetitu huic reſpondente, quem inſtinctum cum quibusdam dicere poſſis, divinam infinitatem imitatur; ita ut nihil fiat in Corpore, quod non anima revera percipiat, nihil, circa quod non appetitum ſuum (ſub quo pro re nata fugam complector) exerceat, etſi non advertentibus nobis.

Unde

Unde etiam ſæpe fit, ut paſſiones animæ vehementiores magnos motus in corpore excitent; & prægnantium affectus paſſim mire ſe oſtendant in formatione fœtus. Etſi enim revera anima non magis minusve mutet corporeas motuum formationumque leges in hoc, quam alio caſu, & utroque modo æque conſentiat concurratque; merito tamen mutatio animæ aſcribitur, cum in ipſa evidens eſt ſtatus, quem mutatio corporea conſequitur, in corpore autem evidens non eſt, quemadmodum actiones Corporis, quas voluntarias dicunt, Animæ peculiariter aſcribimus, etſi involuntariis ea non minus connectatur. Sufficit ſcilicet, aliquid conſequi ex perceptionibus noſtris, ut animæ affectionibus imputetur, etſi revera corporeum effectum immediate producant motus machinæ, qui corporeas impreſſiones in ſenſoria conſequuntur.

Ceterum ex hac ſenſuum affectuumque expreſſorum diſtinctiusque eminentium in Anima connexione cum Corpore, & peculiariter cum fœtu, intelligere licet, confuſas perceptiones & occultos adpetitus non minus concurrere conſentireque omnibus inteſtinis functionibus corporis, quæ involuntariæ appellantur, totique formationi fœtus, etſi res non animadvertatur; cum Magnitudo rem quidem ſenſibilem reddat, ſpeciem ejus non mutet. Interim non inepte motus voluntarii appellantur, qui adpetitibus diſtinctius cognitis connectuntur, ubi media finibus ab anima noſtra adaptari animadvertimus ipſi; tametſi in Motibus etiam cæteris appetitus ad ſuos fines per media procedat, quanquam non animadvertentibus nobis. Voluntariæ enim eæ demum actiones proprie appellantur, quas deliberato facimus, & quarum conſcii ſumus.

Porro ad Medicinæ quoque uſum veteres obſervationem finium accommodaſſe apparet; ſed peculiari quadam ratione huc incubuerunt Autores recentiores vitalis, quam vocant, Medicinæ, ex quibus Paracelſus & Helmontius eminent, Archæo quodam introducto, cujus appetitu, irritatione, vigore & languore corporis actiones regerentur. Sed quicquid in his verum eſt, noſtris conſentit; nec opus eſt, aliquid in corpore

conci-

concipere quam continentia, contenta & impetum facientia; nec alios advocare quam animæ appetitibus; ut proinde Archæus non niſi in Anima ſpiritibusque corporeis ei conſentientibus quæri debeat, neque vel plaſtico aliquo, vel Hylarchico principio, aut variis per Membra principibus ſive Regulis, velut Cardianacte, Gaſtrianacte & ſimilibus indigeamus.

Sed præ ceteris vir Celeberrimus Georgius Erneſtus Stahlius, Medicinæ apud Hallenſes Doctor, hanc Doctrinam reſuſcitare, purgare & ad uſum practicum accommodare inſtituit, multa ingenioſe obſervans, vulgo ſine attentione transmiſſa. Extant ejus diſſertationes ſparſim editæ; ſed nuper juſtum Theoriæ corpus publicavit, quod mihi hæc in chartam conjiciendi occaſionem dedit.

I.

Atque ibi quidem probe obſervat, (p. 6. ſeqq.) diſtinguendum inter ea, quæ fiunt ſecundum finem, & quæ caſu: tametſi diſtinctio hæc nonniſi ſecundum apparentias & evidentiæ gradus accipi debeat, caſusque nonniſi ignorantia noſtra locum habeat, cum omnia revera in finem dirigantur.

II.

Differentiam etiam inter Mechanismum & Organismum crebro inculcat idem, (p. 13. ſeqq.) etſi, ut verum fatear, omnis organismus revera ſit mechanismus, ſed exquiſitior, atque, ut ſic dicam, divinior; dicique poſſit, (ut jam notavi) corpora naturæ organica revera machinas divinas eſſe.

III.

Itaque quod p. 17. defenditur, eſſe aliquid in Organismo, quod alieniſſimum ſit a Mechanismo, non admiſerim: nec præclara recentiorum decreta everti velim, quibus recte conſtitutum eſt, nihil in corpore fieri, quod non Mechanicis, id eſt, intelligibilibus rationibus conſtet.

Et licet Franciscus Linus, defenſor funiculi, Henricus Morus, principii hylarchici autor, aliique viri docti (quales qui nuper ad ſpiritus incorporeos confugerunt) gravitatem, attractionem, vim Elaſticam aliaque id genus ad ἄῤῥητα quædam reducere conati ſint; recte tamen a Boyleo, Sturmio

aliisque reſponſum ipſis, oſtenſumque eſt, mechanicas horum omnium rationes ſubeſſe, nec ſufficere ignorantiam noſtram, quæ nos rationes perfecte reddere vetat, ut cauſæ intelligibiles omnino rejiciantur.

Rebus corporeis ſub complexu corporeo comprehenſis unice in concreto velut alligatam eſſe univerſam animæ humanæ energiam, affirmatur p. 24.

IV.

Et animæ humanæ univerſam deſtinationem in eo unice verſari, ut Affectiones rerum corporearum tanquam verum ſuum, unum & univerſum ſcopum aſſequatur, adjicitur p. 2 Ego etſi putem, nullam usque adeo abſtractam a ſenſibus Mentis cogitationem eſſe, cui non aliquid corporeum reſpondeat, nullamque noſtram cogitationem completam corporearum imaginum expertem eſſe; imo (quod majus eſt) nunquam ullam animam ab omni corpore organico plane ſeparari; cenſeo tamen, Mentem arctius Deo quam corporibus connecti, nec tantum ad res externas noscendas deſtinatam eſſe, corpora utique involventes, quam ad cognoſcendam ſe ipſam, & per hæc Autorem rerum.

V.

Cum ſtrepitus in aures noſtras illabitur ſed attentio deeſt, negatur formaliter ſenſum fieri. (p. 35.) Ego perceptionem veriſſimam adeſſe puto, etſi ſine animadverſione. Ita cum pulveribus flavo & cæruleo miſtis fit viridis; ego & flavum & cæruleum in viridi confuſoque percipio, ſed ſingulos non animadverto. Eoque fit, ut viridis coloris conſcius ſim, flavi cæruleïve non ſim. Interim totum ex pulviſculis flavis & cæruleis conſtans non perciperem, niſi perciperem partes. Eodem modo ſtatuo ab anima percipi, quicquid in corpore fit, etſi ob aſſuetudinem tenoremque æquabilem non animadvertatur.

VI.

Ad p. 40. ſpero Cl. Autorem non negaturum, cum columba aliquandiu incluſa, nunc libera, priſtinam domum repetit,

petit, impreſſiones in eam corporeas fieri, ab ipſa domo (licet mediate) determinationem accipientes.

VII.

Ad p. 62. Ex deſcriptione exquiſita horologii comprehenſionem rationum, cur & quomodo agat, ſequi putem.

VIII.

Optime paſſim urget Cl. Autor immenſum diſcrimen inter viva & alia mixta. Vitam ego collocare ſolebam in perceptione & Adpetitu. Autor celeberrimus magis conſtituit in ipſa corporis tuendi ſe poteſtate contra interitus proclivitatem, cum alioqui vivorum Corpora ſint maxime fluxa, ut vita ſalis inſtar futura ſit, quod quidam per jocum de anima porci dicebat.

IX.

Ego hæc ad vegetandi vim referebam, qua corpus vivum ſeſe perficit, nutrit, reparat, propagat, quod ex ipſa Structura machinæ conſequi puto; etſi anima ubique conſpirante. Et videmus aliquid vegetationi analogum in corpore maxime fluxili, ſed minime vivo, nempe flamma, quæ ſeſe nutrit propagatque, &, alimento deficere incipiente, miris motibus diſcurrit, id agens, ut ſe tueatur. Nec prohiberet, Deum corporibus longe, quam noſtra, conſtantioribus organa ſenſumque dare, quæ viva utique cenſerentur. Sed de Vocabulo litigare nolim. In arbitrio autoris eſt vitam appellare, quod alii vegetationem.

X.

Anatomiam recentiorem fœcundiſſimam eſſe rebus a Medico ſcopo alienis, monetur p. 67. Ego etſi agnoſcam, alia aliis ad ſcopum propius facere: nolim tamen facile veritates a præſenti uſu remotas ut inutiles traduci, cum uſus magis magisque detegi poſſit, ut paſſim factum videmus. Et licet non ſit poſtulandum ab omni Medico, ut Anatomicas omnes minutias excutiat; putem tamen e Re publica eſſe, ut nunquam deſint, qui hoc ſibi potiſſimum negotii datum judicent. Et vero maximus in Chirurgia uſus eſt Anatomiæ etiam exquiſitioris; credoque aucta arte homines aliquando ad curationes

nonnullas hactenus deſperatas perventuros; aperiendo, ſeparando, extrahendo, inſerendo. Et licet non poſſit Chirurgus oſſa, vaſa, muſculos, nervos aut membranas læſas reſarcire, ut Sartor veſtimentum, ſed hoc naturæ opus ſit: non ideo tamen exiguum eſt, oſſium, vaſorum, muſculorum, tendinum, nervorum, membranarum figuras, ſitum, nexum exacte noſſe, ut ſcilicet læſione facta caveantur; quæ impediunt naturæ actionem, procurentur, quæ juvent, & ut conſtet, quæ præſtantioribus ſalvis tolli aut violari poſſint. Itaque non ſatis capio, quo jure negetur p. 69., in univerſa ſtructura atque textura partium corporis organicarum quicquam ſubeſſe, quod ad Medicum pertineat, aut ei ad ſcopum medendi, reſtituendi, reparandi, utilitatem eximiam afferat; niſi forte Chirurgiam a Medicina excludat, quod non putem.

XI.

Quanquam etiam, Chirurgia ſepoſita, Medici referat interiora noſtri corporis noſſe. Et licet hactenus fortaſſe non ſatis fructus Medicina ex detecta a recentioribus œconomia animali cœperit: hoc tamen magis putem factum negligentia hominum, inprimis Practicorum, parum inquiſitioni veritatis vacantium, quam vitio rei. Tametſi, ut verum fatear, culpa magis in Rectoribus Reipublicæ reſideat, quos ſaluti publicæ invigilare, & ſcientiæ tam neceſſariæ incrementa curare par erat; quam in Medicis, quibus tuenda rei familiaris cura incumbit. Fateor multa eſſe, quorum utilitas nondum ſatis clare apparet: ſed eam quoque emicaturam aliquando arbitror, nullamque veritatem pulchram & late fuſam contemni debere. Sufficit, moneri ad Praxin aſpirantes, ne nimium in his temporis conſumant. Interim humanum ingenium, & juvenum inprimis, hoc præſertim tempore, plus ſatis a labore proclive eſt ad libidinem, ut vix neceſſe ſit doctores nos ignorantiæ fieri, monereque eos, ne nimis boni Anatomici fiant.

XII.

Recte Cl. Autor p. 70. Chymiam adhuc a Scopo Medici remotiorem videri ait, quam Anatomiam; mallem tamen, ne hanc quidem nimis removeri. Etſi enim diverſa acida, alcalia, olea, diverſos admodum effectus habeant, attamen habent & communia multa, quorum obſervatio propioribus viam ſternat. Sane mutationes Animalium longe differunt a Mutationibus Vegetabilium; nec fortaſſe quicquam in Corpore noſtro eſt, quod proprie dictæ fermentationi reſpondeat, qua Vegetabilia ad ſpiritum ardentem, ac denique acidum præbendum diſponuntur: eſt tamen animalibus quædam propria, ut ſic dicam, Chymia, & ad Chymiam non minus pertinent mutationes, quæ in humoribus animalium, quam quæ in liquoribus vegetabilium fiunt: imo corpora omnia ad Chymiam pertinent, quando ſecundum operationes phyſicas, inſenſibili proceſſu conſtantes, non ut ſtructuræ, ſed ut Maſſæ tractantur.

XIII.

Etſi autem p. 71. objiciatur, ex Chymia non omnino patere, quomodo animi Pathemata tantam faciant corporis commotionem; putem tamen ex ipſa Chymia recte conjici, exploſiones pyriis ſimiles ſubeſſe. Et dici poteſt, corpus noſtrum non tantum machinam hydraulico-pnevmaticam, ſed & pyriam eſſe.

XIV.

Quod vero (ut ibidem notatur) corpus noſtrum ab ingeſtis tam variis, minus quam expectes, alteratur, cauſa eſſe videtur vehementiſſima illa *Subactio* ingeſtorum, dum per Vaſa ſangvinea toties tantaque velocitate circumferuntur. Qua ratione fit, ut ſuis operationibus propriis minus relinquantur, niſi quæ virium ſunt inſigniorum.

XV.

Negatur p. 75. Motus animalis univerſam integritatem dependere a Materiæ & organorum juſta proportione; cum animi pathemata conſtet motus vehementer concitari, inhiberi, in transverſum agi. Sed hoc eſt ſupponere, nullos eſſe

inteſtinos Corporum tenuium motus, pathematis animæ reſpondentes. Nec refert, quod ſæpe ignoratur, (vid. p.76.) quæ depravationes materiæ Morbis & Symptomatibus occaſionem præbeant. A noſtra ignoratione invalidum eſt argumentum ad rem tollendam. Quod vita conſervatur excernendo aliena, retinendo propria, non magis excludit Mechaniſmum, quam quod flamma aërem attrahit, fuliginem abigit. Hoc tantum colligas, quanto hæc animalis machina præſtat exquiſitius, tanto magis divinæ ſtructuræ conſpicuum artificium eſſe.

XVI.

Licet autem appetitus aut averſio animæ (etiam non animadvertentis) concurrant conatibus corporis attrahentis aliquid aut ejicientis, (quod Cl. autor Electionem vocat p.78.) non ideo tamen putandum eſt, nudum appetitum aliquid præſtiturum, niſi concurrerent motus Appetitum præcedentes.

XVII.

Fundum Mali (circa Miſtionum doctrinam) Cl. Autor hærere ait (p. 85.) in Ariſtotelica ſpeculatione & diviſibilitate Corporum Mathematica in infinitum. Hæc (inquit) ſi res decenter æſtimetur, illa prima aberratio eſt, verum πρῶτον ψεῦδος. Miror, qui Vir Cl. in tales cogitationes devenire potuerit. Mathematicum hic a Phyſico non differt; niſi ut Abſtractum animo a concreto rebus. Abſtrahentes animo non aliquid falſi afferunt, ſed aliquid veri ſeponunt, quia ſimul omnia conſiderare non licet, imo nec refert. Neceſſe eſt, ut omnis Pars extenſi ſit extenſa; quod maxime in linea recta manifeſtum eſt, ubi pars eſt ſimilis toti: itaque Pars rurſus partes habet. Ariſtotelem ſatis apparet hujus Doctrinæ autorem non fuiſſe.

Cæterum hæc diviſio non tantum in Geometria, ſed etiam in Phyſica locum habet, nec tantum diviſibile eſt corpus in infinitum, ſed & actu diviſum; ita, ut nulla ſit pars Materiæ, in qua non multas rurſus varietates notare liceret, ſi par rebus eſſet ſenſuum noſtrorum ſubtilitas. Qui hæc non animad-

adverfit, parum aſſurgit ad incredibilem naturæ Majeſtatem.

Illud recte notatur, falſum eſſe, quod Ariſtotelici vulgo ſibi perſvadent, partem mixti, quantumvis parvam, eodem modo mixtam eſſe poſſe, ut totum. Certe ſale in aquam injecto non eſt neceſſe, (imo nec intelligibile) ut partes ejus transmutentur in Corpus aqueo-ſalinum, ſed ſufficit, ut diſpergantur per aquam.

XVIII.

Haud dubie egregia ſunt, quæ Vir doctiſſimus de Analyſi corporum animalium habet p.95. & ſeqq. ubi recte ad Chymiam quandam deſcendit. Vellem tamen, aliquando explicari paulo accuratius glutinoſitatis animalis Naturam, quæ hoc habet peculiare, quod humiditate non expirante, tamen Calore induratur, ut in ovis videmus. Memorabile eſt etiam, quod in animalibus ſalia volatilia multo magis, quam in Plantis, dominantur.

XIX.

Animæ affectus conſpirare corporis Affectionibus, etiam ubi minime expectes, libenter admiſerim, humanæque Mentis levitatem conferre aliquid ad frequentiam Morborum hominis præ brutis, nolim omnino negare. Cl. Autor rem ingenioſe explicat p. 107., quaſi, ut in agendo homines minus conſtantes ſunt quam animalia, etiam natura humana minus conſtans attentaque ſit in malis averruncandis; atque in ſphacelo (hominibus magis peculiari) intempeſtivo terrore a tuenda Parte correpta refugiat. Et ſane homines videmus magis quam animalia Vertigini obnoxios eſſe, a Metu profectæ, paſſimque alias ratione inſtinctum obnubilari. Unde animalia melius quam nos alimenta ſibi utilia a noxiis discernunt. Interim conjecturis hujusmodi licet ingenioſis non nimium tribui velim. Videmus enim, non raro homines animo leves, melius, quam prudentes Viros, valere & morbis reſiſtere, & omnino multiplex in his cauſarum implicatio eſt.

XX.

XX.

Monſtro ſimile videtur Cl. Autori, (p. 130.) motus ex vitali cenſu, tam ſanos quam morboſos, non eſſe in poteſtate animæ. Erunt contra (credo) plures, quibus monſtro ſimile videbitur, eousque animæ Poteſtatem extendi. Multum Veritatis utrinque eſt: animæ Appetitibus (ſed immenſa multitudine confuſis, & a noſtra animadverſione remotis) exacte conſentiunt motus Vitales, perinde ac ſi obſequerentur. At viciſſim niſi Machina per ſe tenderet, quo Appetitus fertur, appetitui non obſequeretur.

XXI.

Quod ſi anima poteſtatem haberet in Machinam, ut imperare aliquid poſſet non ſponte facturæ, jam nulla ratio foret, cur non imperare quidvis poſſet: cum nulla ſit proportio inter Animam & Corpus, nec ratio aliqua inveniri poſſit, cur poteſtas Animæ intra determinatas vires coerceretur. Ita ſi animæ vi ſaltaremus, & non potius Poteſtate fluidi exploſionem exercentis, nulla ratio eſſet, cur non poſſemus ſaltare ad altitudinem quantamcunque: ſed neque ullum obſtaculum animæ a Corpore fieri poſſet, eſſetque jam Natura (id eſt, anima ſecundum Cl. Autorem) efficaciſſima malorum omnium Medicatrix, nec ſcopo ſuo unquam excideret.

XXII. a.

Innuitur p. 133. ſoliditatem impenetrabilem cum diviſibilitate in infinitum ſtare non poſſe. Sed non video, quid diviſibilitas faciat aut noceat, cum de impenetrabilitate agitur. Sive diviſibile ſit corpus, ſive indiviſibile, aliud in ſuum locum non admittet, niſi inde excedat.

XXII. b.

Omnem actum eſſe motum, (localem ſcilicet) non dixerim: Actiones internæ animarum ſunt in Subſtantia partibus carente. Ne quid jam de Actionibus Dei immanentibus dicam.

Non putem reprehendendos Medicos, (ut p. 137. fit,) ſed laudandos potius, quod animadverſa efficacia Salis volatilis urinoſi, ad ſangvinis extravaſati coagulationem impediendam, ten-

tentavere, quid Sal ejusmodi in Corpore poſſet. Et licet tanta quantitas in corpus ſumi non debeat, cogitare proclive erat, nec opus eſſe; cum intus alia auxilia concurrant. Et licet omnis defuiſſet ſucceſſus, recte tamen atque ordine egiſſent, ſi modo eundo per gradus caverunt, ne Experimenta per mortes agerent, & ægrorum periculis diſcerent.

XXIV.

Non capio, quo jure dicatur p. 140.: Alterantia eſſe raram avem in Terris, & ſolæ propemodum evacuationes præ illis commendentur; cum tamen Cortex Peruvianus aliaque id genus ſine ſenſibili evacuatione proſint. Equidem hoc faciunt fortaſſe operando in Spiritus potius, quam in humores, quod neſcio, an non & de Opii effectu dici poſſit. Quid venena aliud quam valida alterantia ſunt? & non raro fit, ut venenum ſola doſi differat a Medicamento. Et ſcimus, Arſenicum aliquibus inter febrifuga (etſi periculoſa) arcana fuiſſe: quod fortaſſe profuit majoris mali terrore naturæ incuſſo. Putem tamen etiam, humorum correctionem aliquam dari, etſi plerumque minus promtam. Et talis eſt, quæ fit cura lactea, aut per decocta lignorum aliaque id genus, quibus humorum conſtitutio immutatur. Quin puto ſæpius purgationes prodeſſe, non quia excernunt, ſed quia alterant, uti Vomitoria in Apoplexia juvant. Dixerim itaque duplicia alterantia eſſe: alia pro acutis magis, quæ in ſpiritus agunt; alia pro chronicis, quæ in humores. Evacuantia plerumque bona a malis non ſeparant; proſunt tamen & ipſa alterando, etiam cum non proſunt excernendo, quod tamen ſæpe facere negari non poteſt.

XXV.

Non inepte dici putabam, excernenda eſſe ſubmoleſta in locis, ubi colliguntur, atque ita organa excretoria ad expellendum ſtimulari. Itaque non ſatis capio, quomodo hæc Sententia p. 148. rejici videatur.

Quod p. 151. conceditur, materiam peccantem ad Excretiones diſponi, videtur eſſe alterationis genus.

XXVI.

Ad quæſtionem p. 153. quidnam ſub Actionum vitalium

 or-

organicarum adminiſtratione tribuendum ſit Animæ, ex meo Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtemate reſpondebitur, tribuenda ei omnia, ſi Corporis obſequium ex conſenſu ſpectes: tribuendum vero nihil, ſi quid reluctanti imperaretur. Miraculi quoddam genus foret, ſi anima in Corpore aliquid efficeret præter ejus naturam. Unius hoc Dei proprium eſt, aliquid rebus inducere poſſe, præter earum leges.

XXVII.

Quod habetur p. 160. magis aut minus, fortius aut ſegnius, continue aut interrupte moveri, rem eſſe, quæ non dependeat a Corporis organici diſpoſitione, ſed ab Anima; id quidem dici valde miror. Ita conſequetur, quod paulo ante dixi; quamtamvis vim ab Anima inprimi in Corpus poſſe. Certum utique eſt, exploſiones, fermentationes aliosque motus inteſtinos, gradu variari: pro fluidorum & Vaſorum, tum etiam pro impetum facientium, ratione. Etiam in craſſiore mechaniſmo fontes habemus inæqualiter & per intervalla fluentes. Conſuetudo, quæ hic allegatur, non minus Corpus quam Animam ad agendum aptat.

XXVIII.

Senſum nihil aliud eſſe quam reactionem ſubtilium motuum externorum in ſubtiliſſimos motus, ab Anima percipiendi fine directe inſtitutos, ibidem habetur. Sed vereor, ne ita Anima corporea & mortalis reddatur, & in id ipſum transformetur, quod alii ſpirituum (corporeorum ſcilicet) nomine deſignant; præſertim cum Cl. Vir Spiritus hujusmodi, ab Anima ſcilicet diverſos, neget. Hoc certe Conſilio Hobbeſius ſenſionem per reactionem explicabat. Sed Cl. Autorem ab Animæ immaterialitate tollenda alieniſſimum puto, cum etiam motus pro re incorporea habeat, animamque adeo motus fontem multo magis.

XXIX.

Sed revera motus (id eſt, loci ſitusque variationes) quanquam ſine animæ vi non naſcerentur, in Corpore ſunt tanquam in ſubjecto, cum ſint aggregati magis quam Monadis affectiones: animæ actio propria a motu diverſa eſt.

XXX.

XXX.

Quod autem ſpiritus vitales animalesve, id eſt, fluidum inſenſibile, celeriter in Corpore diſcurrens, negat Vir Cl. miror. Nam ut nihil aliud ſit in Corpore impetum faciens, quam Anima, ratio rerum non fert. Præterea impetum facientia etiam in rebus Vitæ expertibus eſſe conſtat, & ſæpe cor animali evulſum pulſare notum eſt. Cum ergo Actiones corporum præſto ſint, cur ad incorporalium influxus confugiamus; imo revera ad ſupernaturale aliquid, ſeu quod ex rerum naturis explicari impoſſibile eſt. Adde, quod nimis efficeret hæc cauſa. Nam ut jam monuimus, potentia animæ nullis limitibus coerceretur.

ENODATIONES.

UT melius intelligi poſſit, quam ob rem non inde ab initio, propoſitorum *dubiorum*, ſive juxta mentem Autoris, *animadverſionum & argumentorum*, exordium etiam *Reſponſionum* ſeu *declarationum* mearum cœperim? Iterum ſcire convenit, quod mearum potius ſententiarum verum ſenſum ediſſerere, quam alienarum vim & robur expendere, in animo habuerim. Præterquam enim, quod Dn. Autor moleſte ferre dicebatur, ſi propria ipſi placita in dubium vocarentur, ſive, ut inter ſcholarum lites loquuntur, ipſi contradiceretur; Certe, & meum otium, tam rarum atque tenue, a multis jam annis, fuerat, ut huic labori tempus impendere nullatenus valerem: Et, ut verum fatear, non poteram non prævidere, quod plures juſtæ dubitationes, quas ſuppoſitiones Dni Autoris mihi offerebant, & multiplicatio Entium præter neceſſitatem, quæ in illis occurrebat, ſi de genio Ejus vera nunciabantur, non poſſent non diſplicere, res illas tanquam firmum argumentum ſubſternenti. Non equidem diſſimulo, quod ſub primo velut impetu, viro huic, (cujus ceteroquin ingens apud me fuerat exiſtimatio,) quocunque modo ſatisfaciendi, etiam circa has Ejus ſuppoſitiones mihi obverſantia dubia, in

Chartam conjecerim; Cum autem monitus eſſem, id minime placiturum, gratuitam moleſtiam neque offerre placebat, nec auferre. Exorſus proinde ſum ab illis demum dubiis, quæ, ut quidem ipſe loquebatur, e curſoria volutatione, tunc primum in lucem emiſſæ THEORIÆ MEDICÆ VERÆ, formata ſiſtebantur. Ut autem, tempore penes me in multiplices & diverſas occupationes diviſo, qualemcunque tamen ordinem deductionum obſervarem, ſequentem in modum rem exorſus ſum. Et ita quidem, uti ſequitur, ſcriptam meam deductionem, uti tempore illo transmiſi, hic iterum exſcribo, nihil mutatam; Si quid autem pro qualicunque explanatione adjiciendum ſuccurrat, aſteriſco notatum interſeram, ut priſtinæ reſponſioni adjectum B. L. recordetur: et cum novis exceptionibus conferre poſſit.

*
* *

Dubitationes, circa propoſitiones a me in Theoria mea prolatas, quod attinet, inſtituo earum evolutionem atque reſolutionem ſequente Methodo.

A. I. Scrutor acceptionem Dubitantis, an illa meæ propoſitioni ſit conſona.

B. II. Elucido meam propoſitionem.

C. III. Perpendo rationes dubitandi.

D. IV. Diſquiro in harum quoque ulteriores hypotheſes, ſi quæ vel ſubſunt, vel, bona & certa conſequentia inde reſultant.

Primo loco diſtinctionem meam, quod alia, in Syſtemate rerum naturalium, fiant ſecundum finem, alia caſu: vocat dubitatio in ambiguum, & putat, quod

Caſus non niſi ignorantia noſtra locum habeat, cum omnia revera in finem dirigantur.

Hinc, pro elucidanda mea ſententia, moneo: I. loqui me non de iis, quæ SUNT; ſed quæ FIUNT. Omnia quæ *ſunt*, ſemel facta eſſe *propter fines*, minime in dubium voco. Quæ vero

ro FIUNT, non omnia propter *certum* finem fieri, profiteor hoc loco: ſed multa *caſu* fieri, aſſero.

* *Quatenus nempe Caſus, certo, neceſſario, deſtinato Fini contradiſtinguitur.*

Imo II. loquor non ſolum de rebus, quæ *numero* fiunt; i. e. quod non *quslibet numero* res, quæ *fit*, & ita *uti* fit, verum *directum* finem (propter quem *proprie*, & *neceſſario*, fiat) habeat:

Sed volo, quod etiam tota *ſpecies* talium actuum, quibus tales res ita (exquiſite) fiunt, nullum verum, nempe *neceſſarium*, finem habeant: nec in Mente & Voluntate *poſitiva*, divina ſeu Creatoris: nec in ullarum ſecundarum cauſarum concurſu. Et conſequenter, tota *ſpecies* talis facti, nullam habeat (ſecundum ſingulos per minima Effectus) vere *finalem directionem*: nempe, quæ organica (* ſtricte dicta) ratione eo perducat: ſed nuda Mechanica.

* *Dum nempe in Scholis abunde nota eſt* Organiſmi formalis ratio: *quod a ſuperiore cauſa non ſolum inſtituatur, ſed etiam inſtruatur, ſeu gubernetur, exquiſita proportione, ad Effectum producendum, tanquam ſtricte dictum finem.*

III. Hanc conſiderationem eo maxime facere profiteor, ut tanto magis animus advertatur ad cœtum ſatis copioſum talium rerum naturalium, quarum de Eſſentia hoc ſit, & ab illis inſeparabile:

1. ut *iterum iterumque* Fiant;
2. *propter certum Finem* Fiant,
3. & *neceſſario* quidem; cum ille finis aliter obtineri non poſſit:
4. nec etiam illa talis *factio* ullum alium uſum aut Effectum habeat, quam *illum finem:* adeoque, ſi *finis* ille non ſubeſſet, *plane non fieri deberet:*
5. dum tamen interim, etiam a Mundo facto, continuata *factionis* talis perpetuitas adſtruat, quod impetratio illius *finis*, a DEo, (*primo διακοσμήσεως τοῦ κόσμου Autore) ſit inſtituta, adeoque neceſſaria.

C. Cum autem contraria Sententia, ſuæ Aſſertionis, quod *omnia* revera in finem *dirigantur*, plane nullas *rationes* ad-

 du-

ducat, ſed ſimplici poſitioni acquieſcat: proximum eſt, ut Conſectaria talis ſententiæ ipſius paucis perluſtranda ſumam exemplis.

Quando Ventus, aut jactus Tormentarii globi, imo pueri petulantis, aut greſſus vel Curſus Animalis, pulverem, Arenam, Lapillos, de uno loco in alium, quantumcunque diſſitum, propellit; quando aliquid horum in proximam lacunam impellit, ut illa hinc, vel tantula mole infletur, vel tremiſcat ſeu undulet, vel turbetur: ibi, per Sententiam meæ oppoſitam, credendum erit, quod hic actus, vel ab æterno ordine & inſtituto Cauſarum omnium ſuccedentium, vel nunc, illo ipſo Tempore, quo fit, a Deo deſtinatus ſit, ut fiat: neque forte hoc ſolum; ſed ut etiam certum Effectum non ſolum habeat, ſed illum omnino præſtare debeat: adeoque effectus ille fiat neceſſitate *finali*, i. e. pulvillus ille, aut lapillus, *Debeat* priſtino loco moveri: & hunc ſcopum ſeu *finem*, (licet forte inter plures alios) habuerit illius *Venti* (aut alterius impulſus,) *concitatio*: tantæ ejus Menſuræ exquiſitus gradus, ut ille pulvillus, aut lapillus, proprie eo, & in nullum aliud punctum phyſicum, pertingat, quam illud, quo effective cadit: quod locus ille, aut lacus, debuerit pulvilli illius acceſſione augeri; & propterea dimotio illa e priſtino loco pulvillo debuerit incuti: & propterea hic ventus &c. tunc concitari.

Si venenum Muſcis apponitur, quod illud propterea creatum ſit, aut *hoc numero*, (phyſica neceſſitate, ut omnino hic *numero* effectus, his momentis, in mundo exiſteret & perficeretur) non potuerit non quæri, miſceri, apparari: adeoque illæ numero Muſcæ, quæ hinc aſſumunt, debuerint non ſolum eo Tempore mori; ſed præciſe a Veneno, imo, ab his tot numero Moleculis: quæ a prima productione deſtinatæ fuerint ad hunc numero effectum &c.

Quæ omnia, inquam, & ſpecie innumera, & inprimis numero, humano conceptui velut infinita, ita *finaliter neceſ-*

ſario

ſario fieri, ut non potuerint omitti, (i. e. Quæcunque Cauſæ intercedentes & præcedentes tandem huc terminantur, non potuerint omitti, quin ita actuarentur,) fluunt directe & ſimpliciter ex allata hac ſententia.

Hæc omnia, & ſimilia infinita, ego quidem agnoſco, per aptitudinem generalem ad talem Eventum, equidem fieri; ut pulvillus, arena, lapillus, poſſit de uno loco in alium transferri; & propter hanc Mobilitatem habeat, quicquid illi quadret: ſed ut toties, quoties loco ita movetur, debuerit, poſitiva Voluntate, tum primo productivæ, tum perpetuo conſervativæ, & Energiæ, & intentionis divinæ, *neceſſario* ita fieri; adeo, ut omnes cauſæ concurrentes, *neceſſitate directionis* priorum Cauſarum, & ipſius primæ & ſupremæ *intentionis*, ad hunc Effectum, tunc, directe, actuatæ & impulſæ ſint &c.

Hæc omnia, inquam, ego cur credam, & nullam rationem ipſe excogitare poſſum, & nullam usquam ab alio allatam memini, quæ ullam ſpeciem haberet.

De ſpeciebus vero, dico de ſpeciebus, quæ *neceſſitate finali* FIUNT, contrarium ita demonſtro.

I. Corpora *animata* (vulgata acceptione intelligendo) *neceſſario* iterum iterumque *Fiunt*. Quia *durabilia*, diu, nedum in perpetuum, non ſunt. Si vero quæ jam, certo Tempore, ſunt ſeu exiſtunt, periodum durationis ſuæ emenſa, interirent, tolleretur ipſa ſpecies.

II. Hoc autem revera eſſe contra intentionem Creatoris, ſed eſſe harum ſpecierum primum generaliſſimum finem, etiam ut ſint ſeu exiſtant, & non totæ intereant, colligimus argumentis duobus, puto ſatis firmis:

1. quia a Condito Mundo aliquid tale contigiſſe, ut ſpecies creata interierit, non compertum habemus.
2. quia tales ſpecies æque, ac inanimatas, (*iterum ſemel & in perpetuum hoc edico, me vocibus animati & inanimati, vulgo & antiquitus recepto ſenſu, uti*) immenſo numero individuorum ſuſtentari, & perpetuo ſuſtentatas eſſe, omnes gentes, hiſtoriæ amantes, agnoſcunt: & divi-

divino verbo potiti, etiam credunt, juſſas eſſe, adeoque accepiſſe & Energiam illam, & (animatas) adpetitum, (*quamlibet non usque quaque directum,) numerum ſui multiplicandi.

3. His accedit, quod ratione *Numeri*, etiam in illis ſpeciebus, quæ *finali neceſſitate*, (*numerice*) iterum iterumque fiunt, non ſolum nihil poſitivum obſtringere videatur, ut credam, quod ita abſolute neceſſarius ſit, aut a condito Mundo fuerit, definitus numerus individuorum cujuslibet ſpeciei animatæ, ut nullo Temporis Articulo nec potuerint, nec debuerint, fieri aut eſſe, ſive pauciora, ſive plura numero, individua: Hoc inquam credere, non ſolum nihil poſitivum videtur obſtringere: ſed privative etiam, v.g. Malitia onanitica, & inquinationes pollutoriæ nocturnæ, ne quid de hybridis dicam, quid non duri inferrent, ſi inevitabiles, e directa deſtinatione, ordinis & ordinationis ipſius primæ Cauſæ agnoſcerentur. Quod certe non video, quomodo ab illa exquiſita neceſſitate numeri recte ſeparari poſſit.

III. Ut autem in locum eorum, quæ rurſus diſſolvuntur, ſeu (*neceſſario & inevitabiliter*) fatiscunt, alia aliaque individua *reſtituantur*, ſeu *denuo fiant*; ad hunc, inquam, vere *directum finem*, ſimpliciter neceſſe eſt,

1) ut conquirantur, aut certe arripiantur, talia minima Corpuſcula, quæ uniuscujusque *animatæ* ſpeciei organico Corpori conſarcinando & conſtruendo apta ſint.

2) Ut illa Corpuscula, *de puncto ad punctum*, ita digerantur, ſeu *diſtribuantur*, in talem *ordinem* & *ſitum* ponantur, & tandem etiam intimius complicentur & compingantur, ut inde univerſa debita *proportio*, a fibrillis, ad tota Membra, conficiatur.

* Ubi nempe abſtinendum eſt a craſſis ideis, quaſi hæc Corpuſcula *ſponte ſua* ita collabantur, & inter ſe mutuo *ſtipentur*, aut *denſentur*; quale quid de *Arteriarum* majore denſitate præ venis, vulgo, jam inde ab Ariſtotele,

præfi-

præfiguratur: Cum potius inde a minimis, *punctis* quaſi phyſicis, usque ad totius *molis* perfectionem, exquiſitam *appoſitionem*, ſub exactiſſima diſtributione fieri atque celebrari, inter reliqua præcipue demonſtret *proportio* illa juſtiſſima, inter partes Corporis animalis *dextras & ſiniſtras*, earumque conformationem *extrorſum* & *introrſum*, imo in omnem *dimenſionem*, mutua proportione exquiſita, diſpenſata.

IV. Ad hunc *finem* factam utique eſſe a benedicto Creatore *materiam* idoneam, i. e. corpuſcula exigua, quæ ad talem mixtionem æque, ac aggregationem, apta ſint & quadrent, qualis *ſingulis ſpeciebus* animatorum conformationi convenit:

V. Interim (* *ſingulis numero* punctis) hujus Materiæ, neque eſſe adſcriptum

α) *Directum* illum, vel *ſolum*, vel *ultimum*, finem, ut his Corporibus, (* *proprie*, *ut ſingulis*) ſerviant:

β) nec inprimis, ut *cuilibet* ſpeciei Corporum animatorum, *certa* propria materia, his *ſolis*, & non aliis rebus, & apta, & actu ſerviens ſeu idonea, imo dicata & deſtinata ſit.

* Qui error minutim ſpeculantium mentem hinc inde inceſſit, ut inde etiam Becherus finxerit, totam, de qua loquimur, diſtributionem exquiſitiſſimam ſingulorum corpuſculorum, pro exſtructione integrorum Membrorum, imo totius Corporis, fieri per ita *exactiſſimam gravitatem ſpecificam* ſingulorum talium, ut illa, per hanc, *neceſſitate materiali, tendant, cadant*, & collabantur, in eum *locum, ordinem*, & *ſitum*, qui totum Membrum abſolvat.

Par Paralogismus premit illorum modernorum ſpeculationem, qui præfigurant, quaſi in Corpuſculis animalium, ultra omnem Conceptum minimis, ſeminalibus, *tota Textura* quantælibet futuræ *molis*, jam ita formata ſit, ut *augmentum* non aliunde pendeat, quam a ſola ſucceſſiva *extenſione* ibi efformatorum porulorum, per incidentem Materiam, ſingulorum porulorum præfinitæ receptioni aptam. Præterquam enim quod etiam ipſa talis inconceptibilis Efformatio immenſum quantum difficilius quiddam ſit, quam ſucceſſiva illa juſta *directio* materiæ per ſingula puncta; & inprimis adhuc, talis minimo-minimæ effigurationis Archetypicæ *Autor*, poſt-

ea

ea novæ difficultati materiam præbeat: evertit omnem talem ſpeculationem funditus negotium, plus, quam ad animum revocatur, familiare, & veluti quotidianum, *nævorum maternorum*; ſeu conſtructionis, a *ſpeciei* illius tota juſta idea, penitus alienæ. Circa „quam illud imprimis attentius, quam propemodum adhuc ulli in „mentem veniſſe apparet, notandum & conſiderandum venit, quod, „quemadmodum hæc plane aliena Efformatio non familiarius eve„nire animadvertitur, quam a medio Tempore geſtationis; ubi „nempe totum Corpus jam perfecte, ſecundum omnes ſui partes „debitas, ſeu Speciei proprie convenientes, efformatum eſt: Ita ne„ceſſario, non ſolum nova quædam ἐπιγενόμενα illi ſuperinducan„tur, ſed, quod palmarium eſt, tota ſubinde Membra, ex aliorum Cor„porum Truncatione per terrorem ſpectata, iterum diſſolvantur, „& hic fœtus eadem parte mancus naſcatur. Imo quod adhuc „plus eſt, parti alicui Corporis nova, & prorſus aliena, Structura in„ducatur, neceſſario prævia abolitione, nempe diſſolutione, priſtinæ. Cujusmodi Exempla, ut immenſo numero non ſolum paſſim oculis obverſantur, ſed etiam hinc inde conſignata habentur: ita inter iſta eminet in *Zodiaco Gallico Blegny* memoratum, ubi fœmi„na gravida, proximis Septimanis ante partum, occaſione dimidii „Capitis Carpionis piſcis, fœtum edidit, cujus dimidia facies Capiti „tali piſcis prorſus gemina cernebatur &c.

γ) Nec maxime ita *ſtrictum* eſſe talis materiæ *numerum*; ſed *plus* ejus eſſe, imo nimio plus, quam unquam, *ſimul* in *illius Temporis*, *definitos* uſus deduci vel poſſit, vel debeat:

δ) Imo vero, quicquid ejus in uſum deducitur, illud eo Tempore, non, quod ajunt, *ad hunc finem tendat*, aut ad illum (tunc, ut ad hunc *numero* finem,) revera *dirigatur*: Sed verius (ut ſigillatim, in ordine ad hunc *finem*,) *Caſu* occurrens, tunc in Actum deducatur.

VI. Ipſi vero Conditioni omnium illarum rerum, quæ *revera Finali neceſſitate* (numerice) iterum iterumque fiunt, quaſi inſeparabiliter juncta eſſe videtur etiam illa neceſſitas, ut hujusmodi Materia (e qua fieri poſſit, illud quod fieri debet) tanquam immenſa *abundantia* præſto, & revera præ-parata ſit: ut ipſa ubivis ſatis facile, & ſatis copioſe, inve-

inveniri poſſit, imo occurrat & affluat, ut de illa, in uſum horum finium, arripi & retineri poſſit, quantum neceſſe eſt.

VII. Unde licuerit hanc rem comprehendere tali diſtinctione: Omnia, quæ a DEO facta ſunt, facta utique eſſe *ad* Fines; ſed non *directe Propter* Fines. Explico: facta eſſe, ſpecie plurima; numero vero, abundatiſſima copia: ut omnino *apta* ſint ad uſus: non autem, ut, abſoluta neceſſitate, (*ſingula* illorum individua) certo, proprie, ad uſus hos numero pertingant: uſus, inquam, omnes & ſingulos, quibus quadrant: nedum, ut perpetuo *dirigantur*, adeoque ſine Ceſſatione perducantur *ſingula* ad *omnes* illos Fines, ad quos *apta* ſunt:

* Aut, quod huic geminum eſt, illa *ſingula numero*, ad *ſingulos* illos uſus, in prima ſui productione, *deſtinata* fuerint, ad quos durante tempore perducuntur. Id quod inprimis ex *Abuſibus* libere agentium, ad Eventus phyſicos, & adhuc magis morales, dilucescit.

VIII. Optime omnium autem terminabitur ſeu circumſcribetur hæc ſententia, (ſi modo non offendat delicatas, e hodierno more, aures, ſonus Vocum Metaphyſicarum) diſcretione *reſpectus erga finem*. Cum enim omnes Cauſæ habeant *rationem ad* finem; *Efficiens* agat *propter* finem: *Materia* ſerviat & *obſequatur ad* finem: *inſtrumentum* ſeu Medium, accommodando *perducat* ad finem: *forma* ipſa partim in hoc ordine ſit *finis*, (internus) partim, ſeu potius ſemper, *compleat* Aptitudinem ad ultimum finem (externum.)

Reſultabit hinc ſua ſponte, quod, licet unumquodque Corpus, quantumcunque exiguum, non tamen propterea habeat rationem *Organicæ* cauſæ, (* quæ a ſuperiore, nempe hic ſuprema, Cauſa, *deſtinata* ſit & *directa*, imo ab illa aſſumatur, ad *Effectum* quemlibet *numero* producendum,) ſed ſimplicis *Materialis* Cauſæ; * quæ ab *immediato Agente animalis ſtructuræ*, per alium Organicum ſeu hic Inſtrumentalem

 actum,

actum, ad illum finem *deducitur*, quem hoc *agens*, hoc Tempore, ſibi propoſitum habet, & exequitur:
Adeoque non mereatur appellari *organum*, quia *inſervit* ad certum finem: ſed ſimpliciter *Materia*, quæ ſubit fines.
Unde etiam eſt, quod *Mechanicæ* Rationes Corpori, qua *Materiato*, adeoque *Quanto*, merito adſcribantur: non vero quatenus proprie. & vere *Organico*.

* Metaphyſicæ μικρολογίαι in alias Diſciplinas temere advocari non debent, (*hæcceitates*, & ſimiles *Abſtractiones*,) interim verus *habitus Cauſarum*, non debite animo comprehenſus, plerarumque aberrationum conceptus perpetuus Autor exiſtit. Elucet hæc implicatio, inprimis ex hodierna illa circa *Mechanismum* ſterili rixa; dum inter *Mechanismum* ſeu *Machinam*, & *organismum* ſeu *inſtrumentum*, quamvis obvia & evidens, diſcretio non debite comprehenditur. Teſtis eſt non ſolum præſens diſceptatio; ſed adhuc magis ſubſequens Domini Autoris ſubjuncta *Exceptio*. Omne *Organum* phyſicum eſſe *Machinam*, manifeſtum eſt; ſed & pariter luculentum, non omnem Machinam, (imo ſtricte loquendo, nullam,) eſſe ſtatim Organum ſeu Inſtrumentum. Quis autem non comprehendat, quod ſtricte dicta inſtrumenta phyſica, *extra Actum*, ſeu actuationem ſui a Superiore Cauſa ad *Finem* recte regente, imo velut animante, nullatenus *actu* ſint inſtrumentum, ſed ſola *potentia*: i. e. *formaliter* nequaquam ſint inſtrumenta, ſed ſolum *Machinæ*: Cum ſolus *uſus* ſeu *Actus*, *quamdiu* exercetur, (& quidem legitime *ad Finem*,) quamdiu durat, *inſtrumentum* efficiat & reddat: Unde etiam in ipſo uſu, non ſaltem *Metaphyſico* ſteriliore conceptu, ſed in rei Veritate, diverſa ſit *Actuatio* in genere, & *directio* in ſpecie. Quis autem, inquam, non comprehendit, quod v. g. *Horologium* exactiſſimum non ſit *Inſtrumentum* pro *horis veris*, civili ſenſu & uſu, deſignandis; quamdiu non a *Cauſa ſuperiore* in illud Punctum *dirigitur*, quod illius Momenti gradui Solis, juxta Meridianum, reſpondet. Quamdiu vero hoc non factum eſt, ſed ſine tali *Directione* revolvitur, licet exquiſite *horas* deſignet, tamen *veras* non ſignat: adeoque toto illo Tempore, tam quando ita progreditur, quam ſi ſimpliciter quietum jaceat, nihil ſit, niſi nuda *Machina*, nullatenus autem *Inſtrumentum*, *horarum*, nempe *verarum*, juxta Meridianum, ſolarium, demonſtrativum. Par implicatio circa *Mechanismum* viget, intuitu *Motus*: Dum *Machina* communiter, ut inſitum *Motum* habens, & *Mechanismus*

niſmus cum Motu ſociatus, citatur. Cum *Mechaniſmus*, in genere, nullatenus quidquam aliud ſit, quam *Mobilitas*, ſeu *Aptitudo ad Motum* : in ſpecie, *ordinata* Mobilitas, ſeu aptitudo ad Certum Succeſſum Motus. Licet tamen etiam hoc non univerſaliter, ad totum *Motum* : Cum *celerius* aut *tardius*, ſine ſui Repugnantia (ſit venia Verbo,) Motus ipſi incuti poſſit : ſed ſolum particulariter, nempe ſecundum reliquas Circumſtantias progreſſus Motus: &c.

Quas res tanto facilius expediverint Metaphyſici (ſani omnino ;) qui Inſtrumentum inter cauſas *externas* locum tenere jubent : dum Materia *internarum* Cauſarum cenſui adſcribitur.

* Quæ nempe Animadverſio *diverſos* illos *Reſpectus* facile expedit, ſecundum quos, in his hypotheſibus, aliquoties allegatur, quod *omnia* Corpuſcula phyſica, ipſa *Mechanica* ſua habitudine, ſeu potius *aptitudine*, ſint *organa Divina.* Dum certe, quantumlibet a Divina Sapientia ad varios *fines* inſtituta, & illis idonea, & apta ac habilia, reddita ſint ; adeoque *latiſſimo ſenſu inſtrumenta* divina, ad certos fines aſſequendos, appellari poſſint ; tamen in eo ordine, quo *ſecundis cauſis* aſſignata, transmiſſa, & tradita ſunt, inter quas nonniſi *Materialis* cauſæ Partes ſuſtinent : Alienum certe eſt ab hujusmodi *cauſalibus* reſpectibus, *generalem* illum habitum inſtrumentalem, *ſpecialibus*, imo *ſpecialiſſimis*, ita præferre, ut his nullus locus amplius concedatur. Eodem enim jure non ſolum *ferrum* & *Chalybs*, ſed etiam ipſum *arte factum orichalcum* , dicenda eſſent *organum divinum* pro quibuslibet *fabrilibus* inſtrumentis , aut horologiis (uti lignum, pro ligneis,) conficiendis : non attendendo, quod hæc Metalla, quemadmodum ſe *indifferenter* habent ad omnes uſus, quibus ab *humana intentione* & induſtria adaptantur ; ita undiquaque, in toto hoc ordine, nihil, niſi aptæ & idoneæ *Materiæ* partes, tueri poſſint : nec tam ſua ipſorum ulla reliqua aptitudine, ſed ſola artificiali *conformatione* ipſis *conciliata & inducta*, ad *inſtrumentales* uſus demum perducantur. Niſi quidem prorſus *ἀκυρῶς* loquendi non ſolum lubido urgeat, ſed plane neceſſitas fingatur.

D. E quibus omnibus proinde affatim diluceſcere confido, quod mea Sententia firmo ſtet talo, ſtatuens,

Pleraque Corpora phyſica, minima, ſingularia, nulli proprie determinatæ ſpecifice aggregationi, certo deſtina-

ta, non habere *fines certos, determinatos, directos, ſpecificos:* adeoque neque proprie *fieri*, nec aliquid *certi ſpecifici, neceſſarii*, ex illis fieri: Sed habere ſolum *fines genericos, varios, vagos*, & ex occurſu fortuitos: *aptos* quidem ad varios *ſpeciales* Fines, ad quos tamen ne quidem *tendere* dici poſſint, nedum *urgere* & ſe *ingerere*. Minime omnium autem *ſimpliciter Organicos* reſpectus admittere: ſed magis, imo vero plurimum, *materialem* ſolum habitum oſtendere.

* Unde nempe *Caſu* omnino obtingere intelligo, quod illa numero minima Corpuſcula, e quibus unum certum Corpus, aut Membrum, aut particula, *animantis* nutritur, augetur, efformatur, exſtruitur, in hoc *numero* Corpus, & non in aliud, delatæ ſint; Quod illa Corpuſcula, quæ fruſtulum Chalybis & orichalci conſtituunt, e quibus horologium numero unum efformatur, præciſe ad hoc, & non ad aliud, aut quemlibet alium uſum, adhiberi contigerit. In qua Conſideratione certe non percipio violari reverentiam, quam *Divinæ Providentiæ* debeo: cum potius inexhauſtam ejus *Munificentiam* ibi agnoſcam, quæ incomprehenſibili Abundantia ſuppeditavit res, e quibus ſpecies, quæ iterum iterumque fieri debent, tanquam Abundantiſſimo & prorſus Affluente penu, arripere & in ſuos uſus convertere poſſint, quicquid ipſis neceſſarium eſt.

Adeoque Theſin meam, diſtinguentem inter res, ſeu *Species*, quæ *neceſſitate* certa iterum iterumque *Fiunt*; & alias, quæ nulla comprehenſibili *neceſſitate* iterum fiunt, ſed ſemel factæ, ad indefinitos uſus ſufficiunt; Et propter Abundantiſſimam Copiam, qua factæ ſunt, ex parte ſui, non niſi *Caſu*, ad illos ſpecialiſſimos Fines, diverſis Temporibus, pertingunt, ad quos, plane multiplices, factæ & aptatæ fuerunt. Hanc, inquam, Theſin ulla Animadverſione dignam eſſe, non comprehendo.

Ubi nempe, quantum ego capio, revera ſterilioris Metaphyſicæ Speculationis ſobolem agnoſco, *tendentiam* illam intrinſecam ſingulorum talium Corpuſculorum, ad quemlibet *ſpecialem* Finem aptitudinis ſuæ; ſive, quod eo Tempore, quo ad tales Fines aſſumuntur, illa ipſa eo *tendant, connitantur*, vere *finali* Neceſſitate, (ex parte Sui;) eo *accurrant*, & ſe non magis offerant, quam ingerant. Sed potius, prout per quaſcunque antecedentes Cauſas uſui tali, in illo loco,

proximæ

proximæ fuerunt, ita, (iterum dico, ex parte ſui) *Caſu* in illum uſum incidant.

II.

Secundum dubium oritur circa totius illius mei Scripti univerſum objectum (**generale*, ſed & hoc ipſo *fundamentale*) nempe veram & Realem Diverſitatem *Mechanismi*, & *Organismi*.

A. Hanc ſententiam allegat Scriptum dubitans, ut ſimplicem *Propoſitionem*; non autem attingit prolixiorem ejus *deductionem*, quam diſſertatione peculiari, de differentia Mechanismi & Organismi, exhibui.

B. Sed cum Tota Deductio, ut quidem opinor, huic Theſi elucidandæ ſatisfaciat, non placet hic actum agere.

C. Sed iterum *ratio* dubitandi nulla affertur, ſed ſimplex Contradictio, ſi quidem recte intelligo; nempe, *quod omnis Organismus ſit Mechanismus, ſed exquiſitior, &, ut ita dicatur, divinior*; & poſſit dici, *Corpora Naturæ organica* revera eſſe *Machinas divinas*.

* Fateor, ut etiam Manuſcriptum meum teſtatur, me non potuiſſe conciliare hanc dubitationem cum meis Propoſitionibus, quatenus nempe ut *Dubitatio* infertur, ſicut ipſa Verba teſtantur, nempe: differentiam inter Mechanismum & Organismum, crebro inculcat Autor, [pag. 13.] Etſi, ut verum fatear, *omnis organismus revera ſit Mechanismus* &c. Hic adſcripſeram, *interea tamen mihi non contradicit hæc dubitatio.* Quis enim non videt, quod tota mea Declaratio nihil aliud magis urgeat, quam quod omnino *omnis organismus* in ſe *præſupponat Mechanismum*: Nempe omnis Organiſmi *Materiale* ſit *Mechanismus*: videlicet *Aptitudo* ad ſubeundos *Motus*, & quidem, per Species, *certos*. Fiat autem *Organismus*, quando a *Superiore, externa*, (intuitu ſui ipſius, *Mechanismi*) cauſa in *Actum* deducitur, & ad *Effectum*, tanquam *Finem*, dirigitur. Scripſeram, inquam, ſed iterum obliteraveram, Exceptionem illam; quia monitus eram, Dominum Autorem moleſtius ferre, ſi in aliqua re ignorationis Elenchi admoneatur. Quia vero, ut Dubitationem utique prolatam conſiderarem, totum inſtitutum ferebat: Proſecutus itaque ſum, ſecundum Methodum mihi præſtitutam, verbis:

Ut inſiſtam Methodo mihi præſcriptæ, ſupplendo, quicquid vel ſubeſſe poſſit, vel certe debeat Rationis & Conſequentiarum, Dubitationi adhærentium;

D. Merito ante omnia nego, quod Scriptum reapſe hic *contradicat* meæ Sententiæ. Quantumlibet vocabulo: *Et ſi* &c. hoc innuere compareat. Mea Propoſitio habet: inſignem intercedere *Differentiam* inter Mechanismum & Organismum. Videtur hoc infringi Aſſertione, quod *omnis Organismus ſit Mechanismus*: Sed quam parum hæc Obſervatio mihi noceat, dilucescit ex eo, quod eandem pag. 17. mei Scripti late ipſe quoque produxi, & omnino adſtruxi: Omne Organon (phyſicum) eſt *Mechanicum*, ſeu *Machina*. Sed *converte*; omnis Machina eſt, *vere & directe*, Organon: fruſtra. Omnis *Organismus nititur Mechanismo*, ſeu *præſupponit* Mechanismum. Recte. Omnis *Mechanismus eſt*, *exquiſito ſenſu*, *Organismus*. Nequaquam.

* Quia Vocabulorum Metaphyſicis uſitatorum Allegatio hodie, licet revera paſſim inutiliter, ægrius auditur, & Scholam ſapere arguitur; imo, quod notorium eſt, a plerisque ita delicatis res per Vocabula deſignatæ non intelliguntur: abſtinui a voce, *formaliter*. Interim inferius exhibendæ *Exceptiones* Domini Autoris tam hanc meam Verecundiam irritam reddunt, quam juſtam declarant prolixitatem, qua uſus ſum, ad hanc rem, ampla potius explicatione, quam gladio illo Metaphyſico, interim revera nodum Metaphyſicum, diſſolvendam. Vult enim, in dictis Exceptionibus, Autor, non ſatis eſſe fateri, omnem Organismum niti Mechanismo, ſeu præſupponere Mechanismum; ſed addi debere, organismum nihil aliud eſſe, FORMALITER, quam Mechanismum. Ego vero, qui, quod quidem ubilibet optandum eſſet, certe inde a Scholis affatim comprehenderam, quid dicere velit, *Formaliter*, ne nunc quidem credere poſſum, quod Exceptio ullo jure hanc confeſſionem a me poſtulare debuerit. Ut tamen aliqua ſubveniam, forte menti obverſatus fuit iſte paulo ante a me allegatus reſpectus, quod immenſus ille Numerus phyſicorum Corpuſculorum, per innumeras ſpecies, a Deo productorum, illo intuitu, quod utique ad certos, utut varios, fines ſubeundos deſtinata ſunt, dici poſſint organa divina, ad varium cer-

tum

tum Effectum aſſequendum. Sed quod propterea omnis Mechaniſmus *formaliter* habendus ſit Organiſmus, per omnem ſucceſſum & Ordinem Cauſalis Influxus: & e converſo, (quod certe *τὸ formaliter* infert,) omnis Mechaniſmus, ſpecifice, per ſingulas, inquam, ſpecies Effectuum & Eventuum, ſit *ſtricte dictus* Organiſmus, imo hæc duo non ſint duo, ſed *unum idemque*, ego ne nunc quidem perdidicero. Interim hujusmodi luſus faciunt Tempus & Chartam ipſam perdere.

Res eſt aperta de omnibus Organis vere talibus, & exquiſite dictis. Breviter, Mechanica Ratio ſeſe habet, in Conceptu Organi, ut *τὸ Materiale*; aut, ſano Senſu, ut *genus*. Sicut autem Materia nusquam durat actu, ſine ulla *forma*; & nunc, phyſice, nusquam eſt *genus* abſolutum, niſi in *ſpeciebus*: ita interim nec forma eſt Materia, nec Materia forma: nec genus eſt Species, nec Species genus, &c.

* Certe, nunquam laboravi pruritu, Metaphyſica Nomina, aut abſtractos Conceptus, urgendi; interim non diffiteor, vel hoc nomine interdum illis uſum eſſe, ut vel puerilibus annis hauſtorum conceptuum, ad verum uſum ducentium, memoria refricaretur, contra Regulas dubitantibus (veras, inquam, & in re fundatas;) Vel ad minimum, ſi harum non meminiſſent, adeoque me non intelligerent, ad minimum alios, Terminorum & Conceptuum gnaros, interrogando, quid mihi per ejusmodi locutiones forte velim, a ſterilibus dubitationibus, ſine ambitu, in viam reverterentur.

TERTIUM dubium, tanquam nexu aliquo, jungitur prægreſſis. A. Itaque, inquit, quod p. 17. defenditur, eſſe aliquid in Organiſmo, quod diverſiſſimum ſit a Mechaniſmo; non admiſerim.

B. Ratio: quamvis non hypothetice, ſed Thetice ſolum, poſita ſit, tamen nihil aliud eſt, quam quod rationis vim habere debeat: nempe: Quia præclara „decreta Recentiorum ita everterentur, quibus con„ſtitutum eſt, nihil in Corpore fieri, quod non Me„chanicis, i.e. intelligibilibus, rationibus conſtet.

Sed α) (ſit venia joco;) Ego etiam ſum recentior; β) mihi naturæ decreta, & ſanæ rationis res judicatæ, unice ſunt præclaræ.

γ) Conſtitutio non eſt lex univerſalis, ſed particularis; quæ non tenet, niſi quibus injungitur, geſtalten Umſtänden nach.

Quæ vero de Viris, *Lino*, *Moro* &c. & his contraria promentibus, *Boyleo*, *Sturmio*, afferuntur, *Autoritates* reſpiciunt, non *Rationes*; quas poſteriores ego unice reſpicio & ſector: nec proinde habeo, quam ob rem ulli allegatorum, in hoc genere, me addicam. Sed hoc totum tranſeat, quia nihil probat, verum in odioſa avia ducit.

* Quam ſupervacua ſit tota hæc contentio, luce meridiana clarius comparet e fundo totius diſceptationis; nominati hi Recentiores, & qui illorum veſtigia, non ſemper paſſibus æquis, ſectantur, omnia Corpora naturalia dicunt eſſe *Machinas*, *inſeparabili*, *inſito*, *proprio Motu* præditas; qui illas indeſinenter *actuet*, ad omnes illos *fines*, *conſulto & deſtinato*, aſſequendos, qui unquam per illas perpetrari ſentiuntur aut intelliguntur. Quis itaque non videt, quod *Actor* & *Effector* totius negotii, (quatenus ad *finem* reſpicit, *tendit* ſeu *procedit*, & unquam pervenit,) ſit hic *Motus*; nempe *Activitas*, ſi vel maxime a Materia harum Machinarum non ipſo facto dividi ſeu removeri poſſet; tamen, *dum quam maxime cum illa & in illa maneret*, tamen, in rei veritate, a Materia res plane *diſtincta & diverſa*. Ubi iterum monere tam ſupervacuum eſt, quam tota hæc reliqua Diſceptatio, quod *Motum* illum, qui Materiæ concreatus eſſe fingitur, *in Abſtracto* conſiderare, nempe pro *Actu* quidem habere, ſed ſine *Agente* vero, & vere *exiſtente*, ſit idea *Metaphyſica*, exquiſitiſſime ejusdem commenſurationis, quam omnes *Paternitates*, *Filiationes*, *Hæcceitates*, abſtractiſſime ſumtæ. Dum potius dicendum incumbit, omnibus & ſingulis Corporibus phyſicis concreatum eſſe, additum, inditum, *Principium Motorium*, *Activum*: (cum tota Materia, *qua talis*, ſit ſimpliciter *paſſiva*.) Qua quidem in re Dominus Autor dubitationum harum, licet Recentioribus in Subſidium venire videri velit, tamen certe eſt Recentiſſimus; ſed Armatura ex antiquiſſimo Armamentario indutus; dum in Exceptionibus (imprimis XXI.) prolixe, & toto fundamento *Dynamices* ſuæ, urget, *principium* illud *movens*, omnibus & ſingulis Corporibus naturalibus *immanenter* inditum, non ſolum eſſe aliquid *revera exiſtens*, a Materia *diſcretum*; ſed etiam omnino, repeto, in omnibus

& ſin-

& ſingulis Corporibus Naturalibus, in ſe & ſua Natura, aliquid *Incorporeum*, *immateriale*: *Entelechiam*, (jam pridem ARISTOTELI hoc nomine, ſi non deſcriptam, tamen notatam,) a Materia diſcretam, & vere diſtinctam. Dixeris, quam ob rem autem perditur ita non ſolum ignobilis Charta, ſed nobile & pretioſum Tempus; cum utique hac ratione meam ipſius, cum Antiquis, imo anti-" quiſſima Veritate, conſonam Theſin propugnet: Quod Principium " Motorium non poſſit ſolum eſſe aliquid incorporeum, ſed plane, (quod, inquam, propugnat,) debeat eſſe incorporeum. Dicam meam Rationem; volui ſic volenti & expetenti, gratificari, & ad minimum prolixe oſtendere, quod hanc Aſſertionem, non ex indiſcreto aſſenſu, tralatitiam ſuſceperim; ſed utique intelligam, & quantum usquam neceſſe eſt, perſpectam habeam. Et ſane vix aliud, ſi mollius loquendum ſit, Dn. Autori, apparere potuerim voluiſſe.

Interim non poterit prudens Lector non comprehendere, quod nihilominus diverſitas inter Domini Aut. & meas Aſſertiones utique maneat: Dum ille non ſolum *omnibus & ſingulis*, ſed maxime *qua ſingulis*, Corporibus Naturalibus, per ſingulas Species; *Principium tale Motorium incorporeum* adjungit; & Per atque ſecundum hoc, & ejus proprias Actiones (determinationes Motus) ex innumerabilibus ejusmodi ſingularibus Corpuſculis, in unum Syſtema, v. g. Corporis Elephantis, congregatis, totius illius ſyſtematis, *ſyſtematicos*, inquam, *Motus* oriri, regi, & ad illos Syſtematicos Fines perduci, in fundo ſupponit: Sed & inſuper meam, imo omnis Antiquitatis, Sententiam, quod *una Anima, toti tali Syſtemati addita, illud in toto, & qualibet parte, ſyſtematice movere poſſit*, non poſſe agnoſci, aut veritatem ejus intelligi, arguit. Melius vero intelligi, diſtincte, inquam, comprehendi poſſe, contendit, quod per ſuppoſitam illam Conſpirationem ſingulorum Corpuſculorum, totam talem Molem conſtituentium, & quidem juxta ſingulorum propriam Activitatem, omnes & ſinguli, *ſyſtematici*, Motus, in illa Mole, ab hac Conſpiratione, per progreſſum e ſingulis, Mechanice (i. e., ait, *ut intelligi poſſit*,) perpetrentur. Quod quidem, ſi totus Mundus intelligeret, ego dicam, quod non omnes intelligent; Je n'y vois goutte.

Quod plus eſt, ex eo Fundamento, quod Principium Motorium, in univerſum, ſit incorporeum quiddam, præcipuum Fundamentum *dubitationis*, " Quod Anima humana inepta ſit ad Corpus huma-

humanum movendum, quia ſit incorporea, conſtitui poſſe: dicam, ut omnes intelligant, Non intelligo.

QUARTO allegatur p. mea 24, ubi dicatur; Animæ humanæ univerſam Energiam alligatam eſſe rebus Corporeis, ſub Complexu corporeo generali comprehenſis.

A. Moneo, hanc non eſſe adhuc plenam meam Sententiam; ſed ad illam omnino pertinere, quod Anima, *diſtincte efficacibus*, (adeoque vulgo pro nobiliſſimis, & apicem ſpecificationis ejus abſolventibus, allegatis) ſuis Energiis alligata ſit craſſioribus demum corporeis rebus, non tenuioribus, nedum adeo ſub toto Complexu corporeo comprehenſis. Videatur pag. mea 29. Quod vero merito moneo, ut Dubitatio habeat, quod ſerio perſequatur. Nam ita forte graviora protuli, quam ipſa imputat. Sed ſtatim dabo vades.

Fit progreſſus ad plura Verba, quibus paria a me dicuntur, eadem p. 29. nempe; Animæ humanæ univerſam deſtinationem in eo unice verſari, ut Affectiones Rerum Corporearum, tanquam Verum ſuum, unum, & univerſum objectum, aſſequatur.

A Iterum neceſſe habeo monere, quod Sententia mea non acceptata ſit, ut conſonet cum mea Propoſitione. Verba mea habent: Tota Animæ non ſolum Indoles, ſed deſtinatio quoque tota, *quam ſcimus, quantum ſcimus, & quantum unquam ſcimus*, verſatur unice circa Corporearum Rerum Affectiones.

B. *Scire*, eſt rem *per Cauſas* cognoſcere: Si non perfecte, quod omnium Cauſarum pernotionem poſtulat; tamen ex Parte, & quoad ejus fieri poteſt, ex potiori parte.

Talem *Scientiam* quamcunque de *Anima* aſſequi valemus; *phyſicam*, conceptui & Experientiæ innixam: perſevero dicere, nihil aliud aſſequi, quam ea, quæ dixi de Animæ Indole, & conſequenter deſtinatione, ſeu Effectibus quibuslibet, in quibus, tanquam Fine, tam intentionis, quam Actionis, tandem ſubſiſtit.

C. Ra-

C. *Rationes dubitandi*, expreſſe, iterum non adduntur. Diſquirendum itaque D. quid e diverſa Sententia, meæ oppoſita, colligi poſſit. Dicitur autem:

"Ego - - - cenſeo, Mentem arctius Deo connecti, quam "Corporibus; nec tantum deſtinatam eſſe ad res externas "noſcendas, quæ utique involvunt Corpora: quam ad cogno"ſcendam ſeipſam, & per hæc Autorem Rerum.

Pervelim profecto, hanc Sententiam qualicunque Deductione elucidari; Ego fateor, me, in Terminis habilibus, hic nihil perſpicere.

Quod enim *phyſica* (aut alia quacunque, *proprie dicta*) *Scientia* Anima ad Agnitionem Dei, ut Autoris, (*ſui ipſius*) pervenire poſſit, nedum arctius, adeoque propius aditum eo habeat; Ego certe non valeo perveſtigare. Et hoc nomine ſatis Theologicam agnoſco Aſſertionem Divi Pauli, quod omnes gentes ſeu homines DEUM ex ſuis operibus agnoſcere poſſint: Si ſimpliciter de Operibus *phyſicis*, & non potius *phyſico-Moralibus*, ſit ſermo: *conſcientia, inquietudine*; & tandem pœna, plerorumque maleficorum, &c. attenta animadverſione obſervandis. Ceterum, uti minime nego, ſed omnino conſentio, quod Anima humana etiam poſſit e multis, (imo omnibus, quotquot aſſequi valet) Corporum Actuationibus, (communibus, ſed tamen & ordine & dignitate primis) tandem eo pervenire, ut intelligat & agnoſcat.

I. *Primam, præcipuam, & unicam* cauſam, quæ ad omnia Corpora, & omnes eorum Affectiones primas & primarias, *æqualem* Efficaciam (*primo-activam*, ſeu *Efficientem*) exerit eſſe VNAM, & quidem veluti *ſimpliciter Activam*: nempe *Actionum Motus*: & quidem *directionum*, ſive capacem, ſive feracem;

II. Si hæc Cauſa *agere* deſiſteret, confeſtim omnia *Corporea ceſſatura* eſſe illud, quod ſunt; Et inprimis quidem copioſiſſima, quæ *ſecundarum* Cauſarum Rationem habent ad reliqua, numero pauciora:

III. Unde adeo utique *eminentem*, & plane *primam*, VNIVS hujus dignitatem æque, atque *Poteſtatem* (uti primam *ordine*, ita ſupremam *dignitate*) intelligere, & vere colligere valeat.

Ita tamen in aprico poſitum eſt, quantum adhuc alligata maneat Anima, quantumcunque hæc agnoſcens & conſiderans, *Corporalibus* illis Reſpectibus; ut *infinitatem*, *ſubſiſtentiam* etiam propriam, ſine Corporibus motu actuandis, (Creaturis) & quomodo *ſeparatim ab illis* ſeſe habeat, nunquam velut exporrecta fronte intueri, aut inconcuſſum *Conceptum* de illo ſibi formare valeat, aut de hac ejus *propria* Eſſentia, certo certa eſſe ſine præſidio, & vera *Energia*, ſeu *Activa* Poteſtate, *Fidei*.

Et hoc non aliunde, niſi quod proxime, adeoque quaſi proprie, in hac terrena vita alligata ſit *Corporalibus* affectionibus, quatenus illas in Corporibus, per externos & internos ſenſus, comprehendit. Unde etiam pauciſſimæ certe Animæ huc usque pertingunt; pleræque vero illud magis habent a Traditione, (ut omnes gentes, quæ Divinitatem aliquam colunt,) quam ab ultima illa intenſione & Erectione *Contemplationis*, directe & ſimpliciter,

Tantum abeſt, ut *Mens* in genere, adeoque numero *qualibet*, proprie & directe, arctius *connexa* ſit DEO, *ut*, & *quatenus*, author omnium Rerum agnoſci poſſit & debeat.

Quod vero inſuper vult dubitatio, quod Anima ad cognoſcendam *ſeipſam* deſtinata ſit; hoc, ſicut phyſice, aut de ſua ſaltem Eſſentia, negotium eſt nusquam neque dabile, neque probabile: ita dubito, an in tota Theologia, vere divina, non verbali & Scholaſtica, hoc poſtulatum, aut promiſſum ſaltem, monſtrari poſſit: quod Anima (*omnis ex & per ſe*) ſe ipſam cognoſcere vel poſſit, vel debeat.

Sed quicquid de Statu ejus *præterito*, unde *deciderit*. & *futuro*, ad quem *reſtitui* debeat, ibi exigitur, certe adeo abſolute eſt res *fidei*, ut Anima etiam divinitus dandis Viribus opus habeat, ad perfectum & inconcuſſum Conſenſum.

Unde

Unde in noſtro tractandi genere, *phyſica Scientia* de Anima (nam omnino ad *Phyſicam* pertinere ſtatuo, præſertim *Poteſtatem motoriam*) nihil quicquam horum ab illa, *de ſe ipſa*, agnoſci, iterum & conſtanter ſentio.

*Apparet in ſubjuncta Exceptione, quomodo Dn. Autor laboret ſeſe explicare; ſed relinquo lubens etiam perſpicaciſſimorum judicio, an aut ſeipſum, aut rem expediverit; ante omnia a *petitionibus principii*: Deinde a *nervo* meæ Aſſertionis, qui in eo fundatur, quod Anima, quicquid contemplatur, cogitat, reminiſcitur, non ſub alio concipiendi modo aſſequatur, quam ſub *figurabili*, Corporalibus *finibus* ſeu *Terminis* circumſcripto; & proprii ſui habitus, appetitus, imo ſenſus, in ſuo *Corpore*, velut amuſſi & Normæ ſuperſtructo. Adeo ut etiam illud, *Non facere aliis, quod ſibi factum non velit*, nullum alium conceptum *verum & realem* admittat, quam æſtimationem rerum, quas ſibi, ut in Corpore conſtitutæ *ſenſuali* experimentali perceptione & *æſtimatione*, gratas, aut moleſtas, æſtimare conſuevit. Adeo, ut etiam tantum abſit, ut ego omnia hæc & ſingula a *Phyſicis* excludam, & ad Moralia rejiciam; ut potius, rem penitiſſime contemplando, (extra revelatam fidem) omnem Moralitatem perceptionibus & *æſtimationibus*, ad ſui *Corporis uſus*, aut *damna*, reflexis, & Corporalibus finitis Conceptibus ſuperſtructam eſſe intelligam. Quemadmodum etiam *Reminiſcentia*, niſi ſub conceptu vere *figurabili*, res eſt mihi incomprehenſibilis.

QUINTO, in dubium venit, quod p. 35. *licet ſtrepitus in aures illabatur*, *attentio* vero deſit, ſenſum *formaliter fieri* negem.

A. Nullus hic circa acceptionem ſubeſt defectus;

B. Neque vero etiam opus eſſe puto ulteriore explanatione, ex abundanti tamen rem de SENSATIONE meo modulo delineatam dabo.

Senſatio habet *duplex inſtrumentum*, tanto exquiſitius, quanto teneriora habet objecta.

Unum debetur *Objecto* colligendo, ut unita magis efficacia, fortius allidere poſſit ad *Alterum* inſtrumentum, quod

Animæ *percipienti* magis immediate ſervit, & nihil aliud eſt, niſi *Nervorum* tenerrimæ extremitates.

Primum illud manet fere perpetuo in *diſpoſitione* ſatis agili, quamdiu ſanum eſt;

Hoc

Hoc alterum vero non æque perpetuo eſt in *uſu*; ut in ſomno: & ſub vigilia etiam, dum *uni* rei magis intenta eſt Anima, reliquarum quaſi ſpeculas & excubias tantisper *remittit*, ut, licet *objectum* per aditus *ſibi* deſtinatos appellat, tamen remiſſos *nervos*, & flaccidos, non percellat.

Siquidem hoc ſuum proximum & ultimum magis immediatum Inſtrumentum, *Nervos*, *actuat*, ad *actum* ſenſus quemlibet ipſa ANIMA, tum *Motu* vividiore, tum *directione* veluti exquiſitiore. Quod in exquiſite *deſtinatis*, videndi, audiendi, olfaciendi, guſtandi, *Intentionibus*, ſatis notum eſt: Unde horchen/ lauſchen/ *arrigere*, non tam *aures* in homine, quam *intimiora* earum: *acuere* viſum, ſcharf drauf ſehen: Et nota eſt, tam *intenta*, quam *repetita*, *ἀκρίβεια olfaciendi, deguſtandi*, pro accurata aliqua diſcretione odorum, ſaporum, &c. abſolvenda, uſitata.

Unde, quando vel non ſatis inſtrumentum hoc ſuum proximum *actuat* Anima, vel totam ſuam *intentionem* in aliud quiddam direxit atque convertit, non penetrant *ad ipſam* incurſus, per alteram partem ſeu *portam* Organi irrumpentes;

Adeoque tunc nulla fit *plena & vera* PERCEPTIO.

"Pertractavi autem totam rem pariter, imo plenius, Theor. p. 524. 525. &c. cum quæſtione, *agendo*, an vero ſimpliciter *patiendo*, fiat ſenſatio?

C. *Rationes* vero dubitandi iterum non apparent, ſed ſola diverſa ſententia, quod quidem ſemper fiat PERCEPTIO, ſed deſit ſolum ANIMADVERSIO.

Fateor autem, me hæc non intelligere. In diſcurſu generali *perceptio* & *appetitus* allegabantur, ceu propria animæ attributa. Et vero non poteram aliter ibi intelligere mentem, niſi quod *perceptio* æquipolleat animadverſioni ſeu generali *intellectui*, ſeu potius ſit *res* eadem, *nomen* ſolum duplex.

Jam vero quomodo intellectus poſſit fieri ſine animi adverſione (*circa talia objecta externa,) ad minimum quoad τὸ ὅτι, QUOD tunc aliquid percipiatur; fateor me non percipere aut intelligere.

Unde

Unde potius, adhuc ſemel provocando ad allegatas paginas Theoriæ, non habeo hactenus, quod de ſententia decedam.

Quod vero ad *colorem viridem* attinet, certiſſimus ſum, tanto minus ullum hominem in colore artificiali exacte *flaveſcente-gramineo*, ſeu florido-gramineo, agniturum eſſe miſcelam *cærulei*: Cum etiam cærulei *in ſe* nullam habeat *rationabilem*, ſeu vere ſpecifice comparativam, diſcretionem, tam parum, quam ullius alterius coloris ſimplicioris; nedum plurium *ſimul*, & tenuiter quidem *mixtorum*, quod viridi illi floride-gramineo, intimius propemodum, quam ulli alii ita compoſito, accidit.

Locutio vero illa, quod totum non percipi poſſit, niſi percipiantur partes, fateor ingenue, eſt mihi plane imperceptibilis, ut etiam inaudita, in hoc ſenſu, (de partibus *componentibus*, non *integrantibus* tantum.)

Certum quidem eſt, quod totum, quatenus contradiſtinguitur partibus, non poſſit agnoſci, niſi certus ſim, eſſe conflatum ex partibus.

Interim, quod quodlibet *Unum*, quatenus *unum* eſt, *totum* quoque ſit, & tamen non habeat *partes*, manifeſtum eſt: ſi enim non eſſet totum, non eſſet unum: ſi non unum (complexum,) non eſſet totum.

Quod vero habitus totius, *qua totum eſt*, converti poſſit cum habitu *Mixti*, & illius affectionum materialium, per quas Mixtum eſt, ego non percipio.

Si vero non tam Metaphyſicis his diſcretionibus, (partium componentium, & integrantium) quæ certe ἀκρίβειαν requirunt, & exquiſitam animi adverſionem, quam inductionibus ſolum ſeu inſtantiis, firmitatem propoſitionis illius tentare velimus, numerum inſignem ſuppeditare poteſt Chymia, quomodo e compoſitionibus diverſorum oriuntur colores, qui omnem diſcretionem æque, ac ſuſpicionem fallant.

V. g. e *ſulphure citrino* & *Cupro*, color a priſtino cupreo parum abiens.

E Sulphure eodem, & argento vivo, vividiſſimus ille color minii veterum, hodie cinnabaris.

Ex ære rubro, aut Orichalco flavo, & limpido ſpiritu Urinæ, color exaltatus Cyaneus, &c. &c.

Et innumera talia, ubi certe omnes allatæ rationes, & imprimis illa de *toto & partibus*, non video, quem aditum habituræ ſint.

"Licet autem ultima ſententia iſtius §. Eodem modo ſta-"tuo ab anima percipi, quicquid in corpore fit, etſi ob aſſue-"tudinem tenoremque æquabilem non animadvertatur:

Licet, inquam, hæc ſatis mihi arrideat; tamen non poſſum intelligere, quo nexu illa e præcedentibus lucem aliquam haurire, nedum quaſi fluere poſſit, aut identitatem modi cum illis habere, ſed videtur mihi tanquam ἀπὸ μηχανῆς hic incidere magis, quam procedere.

Habeo tamen utique & ego adhuc penitiorem rationem, quamobrem anima de rebus, quas in corpore gerit, non poſſit vel phantaſiam habere, vel memoriam: Quia omnes illæ res non poſſunt *figurabili* aliquo conceptu comprehendi, cujus tamen *ſolius* compos eſt tam *phantaſia*, quam *memoria*, i. e. phantaſia repetita.

SEXTO, ad illud de (pag. 40.) *Columba*, certe deſtituo omnem ſpem:

A. B. 1) quia rationes ejus rei ego prolixius attuli, quam quidem mereri videri poſſit: Rationes vero in contrarium, quæ me dimoveant ſententia, nullas audio.

Ut tamen & hic ſuſpicionem contumaciæ a me amoveam, adhuc ſemel repetam verum nucleum, in quo vertitur cardo totius dubii.

Poſitio opinionis, *mechanicas poteſtates* hic aſſerentis, eſt ſequens:

Non ſolum de columbario, ſed de tota domo, ut aſpectabilis eſt, perpetuo emanare corporeas tales *poteſtates*, & tam longe lateque dimanare, ut, ſi columba, quæ diutius in tali domo ejusque columbario *circumagitata eſt*, quod *volare* vulgus vocat,

cat, longe, (ad decem, aut amplius, millia paſſuum,) interce-dentibus montibus, ſylvis &c. deportata eſt in aliam regio-nem, ibi iterum incluſa columbario, bene habita cibis, copu-lata cum nova conjuge, ova peperit, excluſit, nihilque deeſt, quod illam priſtinæ manſionis, ſit venia verbo, *oblivisci* induce-re poſſet: Tamen ſi in liberum aerem iterum dimittatur, etiam poſt aliquot demum ſeptimanas, imo menſem unum & alterum ,, NB. *corporeæ* illæ *poteſtates*, a primo domicilio ad illum usque locum *dimanantes*, in columbam hanc mox offendant, il-lius organa motoria non ſolum in genere ad volatum impel-lant, ſed etiam, *in ſpecie ſpecialiſſima*, retrorſum *pellant* ſeu rapiant, nempe ad illam domum, de qua ipſæ hæ *emanationes* procedunt: Quin etiam, ſi quæ huic hiſtoriæ eſt fides, non minus potenter ad eandem *recurſant*, quam ut tale *corporeum machinamentum*, quod *columba* a vulgo dicitur, ſecum non *trudere* ſolum, ſed *rapere* pla-ne poſſint.

C. Hoc quo minus ego credere poſſim: obſtant rationes ſequentes: 1) quod *emanationis* talis, 2) & quidem *reciprocæ* ad illud, de quo ita diſcedit, 3) ejusque indeſinenter *perpetuæ*, 4) & in tam *longa ſpatia*, v.g. Ab Aleppo Cairum, 5) *Corporeæ*, 6) & tamen ſimul *motorio-activiſſimæ*, 7.) ejusque acquiſiti & in-ducti *corporei habitus*, conformationis, *proportionis in corpus anima-lis*, & imprimis *partes volatum peragentes*: Quod, inquam, ho-rum omnium & ſingulorum nullam usquam *probationem* aliam inveniam, niſi ab hoc ipſo, quod in quæſtione eſt, & ſimilibus exemplis. Quibus tamen cum *explicandis* ſolum, & hæc con-tra, illis probandis, adhibeantur, fateor, me in talibus occaſio-nibus non poſſe exuere præjudicium Logicum, quod nomine *Petitionis Principii*, ut prorſus inſidi, vitandi, imbibi.

Ne tamen hic ſpeculationibus me temere dare videar, agam per Experimentum.

Columba, libero volatui longinquo adſueta, (alibi jam conſuefacta) imponatur in aliud columbarium, nutriatur affa-tim, ſit columbarium hoc priſtino commodius & purius, con-jugetur, pariat: Maneat hic per plures ſeptimanas; Habeat proſpectum liberum in exteriora domus & viciniæ: Tandem

emittatur: Volitet quoque primo, imo vel per unam alteram ſeptimanam, imo menſem, per hanc viciniam, & repetat tantiſper, numeroſiſſimis vicibus, poſtremam hanc manſionem, hoc columbarium, ſuum nidum; Cum ſucceſſive, quod vulgus vocat, *memoria recoluerit*, imo conjiciendo quaſi diſcreverit, priſtinæ habitationis locum, (wann ſie ſich der Gegenden erkennet/ ajunt,) volat per illum tractum, longe, diu, interquieſcendo quoque, ad vicum aut oppidum, & in eo ad domum priſtinam. (Aliæ vero tales, etiam ſimulatque libero aeri redduntur, cito in altiſſimam evolant, unde quoquo modo tractus regionum diſpicere poſſint, & inde recta linea eo properant.) Sed eſt etiam illud exemplum pueris ipſis notiſſimum & quotidianum.

Jam, ſi illæ poſitiones Mechanico-Phyſicæ eſſent veræ, *cur non facit tales easdem impreſſiones domus poſterior, præſens, adeoque omnibus certe modis & reſpectibus potentior: ut adeo ad ſe impellat, & proxime repellat, columbam?*

Hæc donec enucleata dentur, ego profecto ut a me diſſentiam, nulla eſt ſpes.

SEPTIMUM largior utique; ſed *non eſt ullo modo contra meam Theſin;*

A. quæ hoc proprie vult. In via diſcendi, ubi nondum edoctus affatim ſim, ex inſpectione, imo deſcriptione *hiſtorica*, exquiſita quantumlibet, immediate comprehendere velle *mechanicas rationes*, irritum fore: (quia hæ nusquam, niſi altiore experimento, edoceri poſſunt de energia Elateris, du resſort, der Feder/ adeoque proportionis æquilibrii, der Unruhe/ nullam invenire poterunt veram exquiſitam menſuram), Tanto magis autem, artificium manuale, fabricandi, reparandi &c. Nihil horum, inquam, ſub tali tempore, & *in ordine diſcendi*, ſperatum uſum præſtiturum.

Unde non eſt, quod pluribus rem confirmem.

OCTAVUM dubium iterum *extra meam Theſin* ſubſiſtit: Ego enim

A. Loquor de *Vita Corporis*: de illo, inquam, *actu*, per quem *Corpus* dicitur *Vivum*: Cui opponitur *Mors*, talis privatio,

tio, a qua *ad habitum* non detur regreſſus. (Nam licet læſa hinc inde Structura reparetur: *Mixtio corrupta*, nunquam.)

Cum autem *Actus* ſit, qui *Vitam* hanc præſtat; & quidem non *a priori, ut in ſe*, perpetuꝰ, ſed *a poſteriore*, e conditione ejus, cui, & *propter quod*, exercetur, neceſſario perpetuandus: Propterea Corpori hunc *directe* & unice dicatum, adeoque Corporis, *jure* & *uſu*, eſſe, quem ille actus præſtat effectum, aſſevero.

Minime vero illud conſonum usquam eſt meæ ſententiæ, quod allegatur, me *conſtituere vitam in poteſtate Corporis SE IPSUM* tuendi.

Quod nempe totum ego contra illi potius ſoli adſcribo atque vindico,

1) Cujus ſolius *intereſt*, *ut Corpus duret*.

2) Quod & *motuum agendorum*, &

3) *Directionum* Motus compos eſt:

4) Et *proportionum*, *Gradus* & *Temporis* capax:

5) Non tamen ita abſolute ad hæc *adſtrictum*, quin etiam, ex alia *intentione*, hæc *aliter* (& perperam) *agere* poſſit:

6) Unde *morbidæ*, imo *mortiferæ*, VITÆ corporis mutationes, ab hujus *intentionis* perverſione:

7) Eæque *præſentisſimæ* ſubinde:

8) Semper autem *præſentioris* efficaciæ, quam quæ a *corporeis* cauſis objiciuntur.

9) Quod autem univerſum hoc negotium, prima vera, & genuine-ſincera efficacia, præſtetur, non ullius CORPOREÆ rationis (quæ omnes poſteriores atque intermediæ ſolum ſunt, iſta vera ſuprema:) ſed ACTUATIONIS ſimpliciter (actuationis, inquam, non alius cujusquam rationis, Mechanicæ) nempe *Motus* proportionum: non Phyſicæ activitatis, nempe corporalis cujuscunque materiæ aut habitudinis.

Quas res recte intellectas velim.

NONO loco aperitur *propria* ſententia, quod actus Conſervationis Corporearum rerum, ſeu potius ut ſonant verba:

Hæc (fuerat autem ſermo *de poteſtate Corpus tuendi contra interitus proclivitatem*) relata ſibi ſint ad *Vim vegetandi*, qua *Corpus* vivum *SESE perſicit*, *nutrit*, *reparat*, *propagat*: quodque hoc ex ipſa *ſtructura machinæ* conſequi putet. &c.

Equidem hoc, contra & uſitatas alioquin acceptiones, & puto, aliter quam res ipſa ſeſe habeat. Recte quidem tantisper, dum utique; Omnes ſub *Vegetatione* & *Vitam* complectuntur, & *Nutritionem*: Secus autem in eo, quaſi *perfectio*, *Nutritio*, *reparatio*, ſimpliciter abſolvat utrumque.

Cum enim maxima pars corporis, partium nempe ſolidarum, tam in medio ſtadio increſcendi, quam abſoluto illo, poſt 50. circiter annum, poſſit ſine exquiſita *Nutritione*, ſatis diu nihilominus, perſeverare ſine vera *corruptione*, adeoque etiam ſine neceſſitate vera *reparationis*: Habet ſe tamen plane contrario modo Actus *directe conſervatorius*, cum *intermediis* ipſi *ſubſervientibus Organicis* operationibus, ipſi vel ſimpliciter, vel certe directe, immediate, & præcipuo loco, debitis; nempe tam *circulatione humorum*, *ſecretionibus* perennibus, & *excretionibus*, per parva *temporis* ſpatia repetendis, imo aliquibus & ipſis plus minus perennibus, ut tranſpiratione in animalibus terreſtribus &c.

Sed hæret inſuper dubium præcipuum, quod nempe meæ ſententiæ opponitur, in illo maxime, quod *actum* Vegetationis non ſolum, ſed etiam *propagationis*, tribuat *VI CORPORIS PROPRIÆ*, & illa e ſtructura machinæ conſequi putet. Sed cum ſit nuda poſitio, ſine allegatis rationibus, non poteſt aliquid reſponderi.

Quod autem adhuc ſubjungitur, aliquid *Vitæ analogum* ſubeſſe in *flamma*, quæ *ſe* nutriat &c. miris motibus diſcurrat, & id agat, *ut ſe tueatur*:

Fateor, me hic nec analogiam, ſed non niſi ſimpliciter rhetoricum tropum, agnoſcere poſſe. Cum enim non dubitem, ſatis perſpectam eſſe actionem *aëris* concurrentis præcipuam, ad formandum & conſtituendum ipſum ignem; ejusque ita univerſalis copia & indefinitus ambitus, atque adeo aditus & coitus perennis cum *materia* flammifera, utique non ſinat

pro-

progreſſum & continuationem Ignis interire, quamdiu apta materia ſuppetit: Accipio iterum locutionem illam, quod Ignis *per ſe fiat*, ſubſiſtat, *ſe nutriat, ſe propaget, ſe tueatur*, pro tropica locutione ita impropriiſſima, ut etiam nulla explicatione *analogiam* ejus, cum Phyſica veritate indolis ignis, conciliare valerem.

Ego potius *analogiam*, imo potius *identitatem* genericam, in *efformatione* Ignis invenio, cum illo actu, quando potentius agitatus aër, (ventus, aut flatus follium) tenuem pulverem tollit & late ſecum differt: neque hoc agere ceſſat, quamdiu pulveris hujus quicquam ſupereſt, quod ita afficere valeat. &c.

DECIMO, non placet, quod recentiorem Anatomiam fœcundiſſimam eſſe monuerim (p. 67.) rebus a Medico ſcopo alienis: nec debere *veritates ut inutiles* traduci, &c. monetur.

A. Hic vero neceſſe profecto omni modo eſt, ut mea ſententia, in vero, & quidem manifeſto atque plano, ſuo ſenſu accipiatur, ante omnia; deinde etiam res prius recte & mature intelligatur & expendatur: ne mihi aliquid imputetur, quod deinde vel non ita inveniatur, vel tale pernoſcatur, quapropter bono jure ego corripi non poſſim. Tanto magis, cum utique, niſi res a me decenter limitata, de reliquo vero etiam juſte notata eſſet, injurius certe dici poſſem in operoſam illam induſtriam, quæ propiorum temporum bonam partem occupavit.

Ut itaque rem ipſam aggrediar, bona plane fide allegatur aſſertio mea, quod Anatomiam recentiorem rebus *a Medico ſcopo alienis* fœcundiſſimam eſſe, dixerim.

Sed non ita video, aut ullo modo comprehendo, quomodo hinc ſequi poſſit, ut omnes hæ res tanquam *abſolute inutiles* propterea vel habendæ ſint, vel damnandæ.

Sicut enim tota *Geographia* ad Artem Medicam longe minimum uſum habet, & omnes artes & tota *Politica*, qua tales, *mechanicæ* populares, &c. propterea tamen non ſequitur, quod

abſo-

abſolute inutiles ſint; Imo nec etiam *Medico* inutiles: ſed *Medico ſcopo*, ſeu Medico, *quatenus Medicus* eſt, inutiles utique.

Idem etiam de *Anatomia* valet. Sicut enim, quantum usquam poteſt curioſe exquiſita Anatomia, ad *Hiſtoriam Phyſicam* omnino pertinet, nedum ut inutilis illi eſſet: Ita *huic ejus uſui* nihil detrahit, quod non etiam *Medicinæ* inſignem, imo ſi vel nullum, uſum præſtet. Unde quidem illud, quod e Republica eſſe reputetur, minime improbo.

Quod vero etiam exquiſitioris Anatomiæ vix quisquam, nedum maximus ſit, aut eſſe poſſit, uſus in *Chirurgia*, id quidem, quisquis Medicinam non exquiſite novit, poteſt putare: Ego vero, cui talia monita non excidunt forte, ſed poſt multam & longam ponderationem denique certa atque firma ſtabiliuntur, poſſum hujus rei rationes evidentes allegare.

Primaria eſt hæc. Anatomia occupatur circa *numerum*, *figuram*, *texturam*, partium *ſolidarum*: *Situm* autem, tam harum, quam, (quatenus in *ſolidis* continentur, & varie diriguntur ſeu diſtribuuntur,) *Fluidarum*.

Notitia *numeri* partium ſolidarum nihil magnopere confert *Arti Medicæ*, aut *Chirurgicæ*, niſi ad *ablationem*, minime vero ad *reparationem*.

Notitia *figuræ*, craſſius, & juxta *exteriorem* ſolum ambitum ſumtæ, inſervit hic illic *Chirurgiæ*, in repoſitione maxime *oſſium fractorum*: Nihil autem amplius.

Notitia *ſitus* vero, totarum, inquam, craſſiorum partium, in quibus regionibus illæ hæreant, ſubſint, transcurrant &c. habet *latiorem* uſum, tam in judicio de partibus laborantibus, aut violenter læſis, ferendo, quam in apertionibus per inciſiones, deligationibus, medicamentis topicis, recte adminiſtrandis.

Notitia vero intimioris & tenerioris *texturæ* nullum abſolute alium uſum habet, neque *Medicum*, neque *Chirurgicum*, niſi quod alicubi forte *Prognoſi* ſerviat, quod tales *texturæ*, ſemel gravius violatæ, nec facile *posſint*, nec aliquæ etiam unquam

ſole-

ſoleant in integrum reſtitui. Utrumque tamen minime ullius *Artis* efficacia.

Cauſa vero, quamobrem hæc notitia *texturæ Arti* tam Chirurgicæ, quam Medicæ, aliis ullis reſpectibus, inutilis ſit, eſt illa:

Quoniam *actus texendi*, *ſtruendi*, & tandem *conformationem*, legibus hujus machinæ Organicæ conformem, præſtandi, adeo ab omni *arte*, aut quolibet ejus *directo* concurſu, alienus & exemptus ſit, ut etiam ne puncti Phyſici quantitatem Ars univerſa hic poſſit conferre, nempe texendo, ſtruendo, conformando.

Scit vero Ars *perita*, totum hoc opus, abſolute & unice, eſſe *Solius Naturæ*, ſeu ſpontaneæ Energiæ in Corpore vivo vividoque: cuicunque tandem *Agenti* tribuatur.

Nec habet in hoc genere Ars ullum aditum *ſpecialem*; ſed unice & ſimpliciter *generaliſſimorum* ſubſidiorum qualemcunque poteſtatem, quæ duo imprimis ſunt:

1) *Impedimenta*, actioni texturæ reparandæ craſſo modo reſiſtentia, craſſis ſatis ſubſidiis, tam Chirurgicis, quam Pharmacevticis, (abſtergendi, mundificandi, abradendi &c.) *amovere*; ut ita *Natura* (ſpontanea illa reparatrix,) libertatem habeat, ſua ſincerius & purius coordinandi.

2) *Activitatem* ipſam aliquatenus excitare, *alacritatem* quandam ipſi conciliare, torporem & langvorem quaſi excutere, per ſic dicta *Balſamica*, vere talia.

Secundum hæc autem puto facile fore intelligere, quod 1) quidem illa notitia ſitus, quæ Medico-Chirurgico uſui ullatenus inſervit, non petenda veniat e maxima (ſiquidem ex ulla) parte Recentioris Curioſioris Anatomiæ; ſed ipſam ſuperiorum jam ſeculorum Anatomiam huic ſcopo vix non usquequaque ſufficere.

2) Quod utique notitia texturæ, recte & ſtricte ſumta, uti dictum, qua talis, Medico utique nihil magis, quam Chirurgo, nullam usquam utilitatem afferat.

Unde etiam omnia illa, quæ ſcriptum prolixius in hunc ſenſum adducit, a verbis: *Et licet non poſſit Chirurgus &c.*: hoc

 ſenſu

ſenſu rectiſſime ſeſe habent, ſed non faciunt ad propoſitum: Quandoquidem non concernunt *Recentiorem Curioſam* Anatomiam, ad minimum pro maxima, & imprimis operoſiſſima, ejus parte.

Facile autem ita capiet, (quod quidem diffitetur Dubitatio pag. 12. lin. 9.) quomodo in *textura* & *ſtructura* corporis intimiore & *ſubtiliore* nihil ſubſit, quod ad *Medicum* ſcopum quidquam faciat: Quia nempe Ars his actibus, qua talibus, nihil quicquam ſubvenire poteſt.

Quod vero *Chirurgiam* a Medicina excludere in animo habeam, rectiſſime facit, quod non credat: Cum utique potius aſſerere illam huic, quam maxime geſtiam atque ſtudeam: Sed non ullo reſpectu *Curioſæ Anatomiæ*, quæ utrique æqualiter inutilis eſt.

UNDECIMO loco, *in Theſi* quidem rectiſſime loquitur Scriptum: ſed alieniſſimum eſſe *ab Hypotheſi*, faciam certam fidem.

Duo ſunt ſcopuli, quos vulgo incurrunt, qui ſtudiis operam navare a Parentibus & Tutoribus jubentur, aut creduntur.

Unus eſt, *nihil*, aut *male* agere:

Alter, *aliud* agere: (quod pulcherrime Seneca Epiſtola ſtatim 1. monet.)

Jam, ſi ſermo ſit de illis, qui ad *primum* inclinant, nihil horum omnium ipſis quadrat. Ut enim *Supervacua* potius jubeamus agere, quam *nihil*, malam arbitror prudentiam: Propterea, quia utique tantum eſt *neceſſariorum*, ut *ſupervacua* non veniant in ſubſidium. Adeoque, ſi adigendi ſunt, ut *aliquid* agant, ducantur ad *neceſſaria*, & habebunt occupationem.

Si vero ad hoc quidem, (ut fere fieri experientia nimio plus confirmat,) faciliores ſint, ut *ſupervacua* talia audiant; Si *neceſſaria* aſpernantur, *Nihil* egerunt.

Quicunque vero prætervehi ſcopulos, & curſum ſuum cum ſtudio abſolvere, in animum inducunt, ſuppeditanda ipſis eſt omnino cynoſura, indicanda brevia, imo latentia paſſim

ſaxa:

ſaxa: quæ licet a ſtrepitu ſtatim noſcant periti, illi facile incauta curioſitate induci poſſunt, ut perſpicere velint, adeoque pericula incurrere.

„Ego vero nihil horum ex opinione, aut jejuna forte „Theoria, dico: Habeo peritiam hujus rei majorem, quam „unquam volui.

„Expertus ſum, & hodieque quam maxime experior, „quicquid etiam moneatur, ſuadeatur, diſſuadeatur, demon„ſtretur, imo, poſt male cedentes auſus, deinde remonſtre„tur, & cautio commendetur; tantum tamen abeſſe, ut inde „in alterum extremum abripiantur ita monendi, atque mo„niti, ut potius vix mediocrem plerique exhibeant facilita„tem, ad proſequendum ſeria, quin nimio plus propendeant, „imo incumbant, ad illa minus utilia.

Merito vero moneri hic poterit, quam maxime prudenter utendum eſſe hujusmodi animadverſionibus, temperamento illo, quod prægreſſo §. affertur, ſed puto præſentem melius expediviſſet; verbis: *Licet non ſit poſtulandum ab omni Medico*, (ſupple; non abſoluta neceſſitate *Medici:* ſed *induſtrii*, curioſi, & ſufficiente otio pollentis &c.) ut Anatomicas omnes minutias (quæ vero ſunt longe maxima pars Recentioris Anatomiæ, de qua unice ſermo eſſe debet,) excutiat; putem tamen *e re publica* eſſe, ut nunquam deſint &c. Nihil hic certe metuendum, ſed affatim eſt talium, & certiſſime ſemper erit.

Diluceſcit autem

D. abunde, quod Dubitationes hæ non prodeant ex Officina *Medica*. Illinc enim primum argumentum proceſſurum fuiſſet

ab uſu *Anatomiæ* ad *Phyſiologiam*, ſeu Doctrinam de vero *uſu* partium, *Circulationis* ſangvinis, *colatoriorum & ſecretoriorum* variorum, apparatuum. &c. &c. Verum,

Quemadmodum hunc uſum, Anatomiæ mediæ ad 40. forte annos, nemo negat: Ita tamen

1) vere *recentiori* atque proximorum temporum, hæc ipſa nihil amplius debent.

 2) Nulla

2) Nulla hic eſt gloria par, texturæ, figuræ, ſtructuræ, cum illa, quam *ſitus ſocii*, ſeu *nexus* mutuo ſubordinati, notitia, ſibi, unice forte, vindicat.

Unde omnis dubitatio tum ex hac conſideratione diſparebit, tum in perpetuum exulabit,

ſi prudenter & ſufficienter intelligatur, non ſolum veriſſima, ſed plane ponderoſiſſima, differentia,

inter Phyſiologiam atque Pathologiam *Phyſico-hiſtoricam:*

& *Phyſiologiam* æque, atque Pathologiam, *vere Medicam*, & arti huic aditus vere *Practicos* pandentem.

DUODECIMO loco, difficile eſt enodare, quid & quot reſpectibus afferatur contra meam aſſertionem.

Si tam in Anatomia, quam Chymia, ita imperitus eſſem, quam forte non ſum; poſſet mihi imputari, quaſi utriusque *gloriæ oſor* ſim, quia *ignorans:* Sed cum in utriſque his Scientiis, quod quidem præfiſcini dico, domi ſim, & tantum illas noverim, quantum mihi ſatis eſſe poſſit, nemo tale quid a me expectaverit. Utrique aſſero *ſuam* laudem, ſed *veram* atque *juſtam.* Magis autem juſtus eſt metus, ne paſſim nimio minor juſto harum rerum intellectus gignat *ignorantiæ filiam, admirationem, ſterili credulitati* innixam.

A. Ut vero pateat, an etiam allatæ Dubitationes proprie habeant, de quo agant, videndum ante omnia eſt de meis aſſertis. Sonant autem verba p. 69. 70.

„Chymia, nec inter Medicos, nec in ullis Syſtematicis „tractationibus, ullam veram, ſatis late patentem, & connexam Dogmaticam Theoriam aſſecuta adhuc eſt.

Certe vero in conceptu formando, de *mutationibus humorum*, variis atque facilibus, in Corpore (animali) humano, nihil quidquam adhuc aſſecuta eſt, quod vel ipſi Chymicæ veritati, vel ſolum hypotheſi (ſeu opinabili ſuppoſitioni) quadret & reſpondeat.

Nedum ut cum veritate ipſius *Vitæ* conſiſtere poſſit.

B. Hic profecto decuiſſet aliquid horum evertere; v. g. An utique Chymia adhuc tam parum profecerit ipſa? Siquidem

dem ſi hoc manet verum, abſurde adhibebitur illa pro *clave* aliarum rerum.

Porro, ſi longe *faciliores*, & *multa*, & *obviæ*, ſint cauſæ mutationum morbidarum; fruſtra certe ſit, fingere aut arceſſere *longe disſitas*, *rarius*, & vix obtingentes.

Tandem, ſi efficaciæ illæ, *Chymicis* analogiis vulgo imputatæ, cum Veritate *Vitalis* tempeſtivæ *ſecretoriæ* & *excuſſoriæ*, methodi, conſiſtere non poſſunt; quis ipſis retinendis in poſſeſſione vel quaſi, ſtudium atque operam addicat.

C. Jam, cum nihil horum convellatur, ſed hæc ſingula intacta relinquantur, quæ tamen *argumenta* ſunt, imo *documenta*, firmandæ meæ aſſertionis, quod Chymia quam minimum uſum habeat pro Medicina; Liberabit me in ſolidum excuſatio, quod Diſputatio non ſit contra Theſin.

Nam certe allatæ rationes ſunt medii termini; propoſitio ipſa eſt concluſio: Itaque, non everſis rationibus, concluſionem negare, non valde probatur.

Manet ergo utique tantiſper inconcuſſa mea aſſertio, quoad ſpeciales aſſerendi rationes non evertuntur.

D. Ut tamen etiam *propriæ* contra me *prolatæ* qualescunque rationes, licet meis non contra inſiſtant, tamen non ita negligi putentur, videamus, quid afferant.

Etſi diverſa acida, alcalia, olea &c. habeant admodum diverſos effectus (proprios, ſpecificos,) habent tamen & multa communia, [nempe generica.]

Rectiſſime; ſed non video, quomodo hoc probet, quod ego perperam dixerim quicquam. Nam

1] non inde eluceſcit, quod hæc omnia *Medici* plerique intelligant;

2] aut quod in ipſis *Syſtematibus*, ad hunc diem prolatis, hoc, quantum ſatis eſt, & maxime ita diſtincte, abſolutum ſit.

3] Minime omnium autem, quod, ſi vel maxime ſciretur, illud ad *Medicam Theoriam* aut *Praxin* ingens momentum afferat.

 Quod

Quod ultimum tamen maxime ita impugnare ſperat Dubitatio: Ita enim eloquitur ipſum ſuum ſcopum:

„Autor p. 70. Chymiam *a Scopo Medici* adhuc remotio-„rem videri ait: Mallem tamen, ne hanc quidem *nimis removeri.* „Cur? quia alcalia, acida, olea, --- multa habent commu-„nia, &c. Non video nervum argumenti ad hanc conclu-„ſionem.

„Porro: mutationes animalium longe differunt a muta-„tionibus vegetabilium. Nec fortaſſe quicquam in Corpore „[animali] noſtro eſt, quod proprie dictæ fermentationi re-„ſpondeat.

Ego agnoſco in Scripto amorem, aut exiſtimationem, Chymiæ: ſed experientiam, aut rationem Chymicam, nondum perſpicio.

A disparibus materiis, quales ſunt in vegetabili & animali regnis, quis expectet pares mutationes?

Quod autem nihil ſit in Corpore animali, quod proprie dictæ *fermentationi* reſpondeat, qua vegetabilia ad Spiritum ardentem, ac denique acidum, præbendum diſponantur:

Hoc eſt partim ἀθέωρον, partim ἄπρακτον.

Illud, dum nullo jure e regno animali expectabitur proventus talium rerum, quales MATERIALITER in illo non inveniantur.

Hoc, dum utique in corpore animali fieri poteſt idem omnino actus, quo, E CONGRUA MATERIA, in regno vegetabili copioſius præſente, fit tam Spiritus ardens, quam acidus:

Interim, quod eodem tali actu in regno animali non fiat *Spiritus* ardens &c. ſed potius *Sal volatile:* quod iterum in regno Vegetabili non procedit, [licet eodem actu] non *actus*, ſed *materiæ* ſubſtratæ, eſt defectus.

Ubi certe etiam in ipſo regno vegetabili, e ſtramine, vinaceis, ligno & vimine vitis, *unus idemque actus* fermentationis vix quicquam educit omnium eorum, quæ e tritico & uvæ ſucco abundanter educit, &c.

Quod vero etiam in animalibus quædam *propria* dici poſſit eſſe

eſſe *Chymia*, & ad Chymiam non minus pertineant mutationes, quæ in humoribus animalium, quam vegetabilium, fiunt &c.

Dicitur quidem, ſed non probatur; Et licet ego aliquid hic poſſem ſuggerere, mallem tamen ſponte probatum audire, quam videri, falcem in alienam meſſem mittere.

Imo vero, ſi etiam hæc omnia probarentur, quid evincerent meæ aſſertioni contrarium? Poſſent enim forte ad Phyſicam conſiderationem referri, ſed quem inde nexum habeant cum ipſa *Medicina*, nova eſſet quæſtio; ſed utique illa, de qua hic proprie agi debebat.

Et huc omnino recidit concluſio paragraphi, quod omnia corpora pertineant ad Chymiam: Sit ita; ſed *an eodem reſpectu*, quoad alias artes, (Medicinam) aut reciproce?

E. Ut tamen etiam adhuc confirmem meam aſſertionem, nempe: Quod nec Medici, neque Chymici, cum tot ſuis præſumtionibus adhuc quicquam aſſecuti ſint, in formando conceptu de mutationibus, variis atque facilibus, in Corpore (animali) humano &c.

Produco atque ſiſto, non ſolum *ſummam*, ſed etiam *inevitabilem*, & talem *perpetuo conſervandam*, *corruptibilitatem* corporis humani *putrido-fermentativam*. De qua aliquid verum, nedum luculentum atque planum, ne moniti quidem, adhuc admittent ad animum plerique: Nedum ut illud, præcipue Chymiæ beneficio, etiam a priori demonſtratum habeant.

Adjungo, *ſecretionum & excretionum* ita brevem moram & ſucceſſus, ut vere Chymicæ mutationes pleræque, præ hac proturbatione & exturbatione, locum atque tempus minime inveniant; Imo ipſa potius rejectanea plus minus hoc in ſenſibus ingerant, quod de *acetoſa* mutatione Lactis notorium: poterat & puto debebat erudire. Sed ſordebant Autores non literati, ut Kunkelius, dum vere moneret, man könne einen Spiritum ardentem auch aus der Buttermilch machen. &c

DECIMUM TERTIUM velim ſilentii ſipario involutum, ob difficultates, quæ inter literatos non debeant controverti: Dum certe ne tangi quidem poſſunt, quin aliquid odioſum præ ſe ferant, ſola enarratione ſimpliciſſima non ſatis tem-

temperandum, quin Catonis & Heracliti auſteritati vim facerent; vulgo autem loquacium certiſſime exploderentur.

DECIMO QUARTO, quod *vehementiſſima* ſit *ſubactio ingeſtorum;* difficile ſit intelligere, quandoquidem in his maxime adhuc viget Chymica actio, a *piſtoria* fermentatione triticeorum haud ita longiſſime abludens, ſi imprimis *quantitas fermenti* concurrentis attendatur:

Quod vero tanto *impetu per vaſa* circumagatur, eſt quidem aliquid, ſed non totum; quod longe magis in longa diſſipatione per latifundium humorum, obvolutione cum aliis particulis, & maxime omnium, matura *ſecretione & excretione* alieniorum portionum, fundatur.

Reliquum autem poteſt tolerari.

DECIMO QUINTO, contra prolatum a me documentum, p. 75. quod non univerſa integritas Motus, (non *animalis*, ut habet textus ſcripti, ſed) *vitalis*, abſolute & ſimpliciter dependeat a *materiæ* & *corporeorum organorum* juſta *proportione:* adeoque ſimpliciter (ut Scholæ loquuntur) *a poſteriori* &c. Dubium oritur.

A. Quia vero in ſcripto additur vox Motus *animalis*, quæ in mea propoſitione l. all. non eſt, nec eſſe debet, ſiquidem ibi de Motibus *Vitalibus*, *ſpontaneis* ſeu involuntariis, eſt ſermo; Propterea explicare ſeu planius proponere meam ſententiam adhuc ſemel expedierit

Primo itaque velim mihi dari, in genere, & ſine ſola reſtrictione ad rem quæſtionis, quod Motus *duplici* ratione poſſit alterari ſeu mutari;

1) *a priori*, quando *principium* movens *energiam* ſuam intendit, aut retardat:

2) *a poſteriori*, quando *materia* ipſa, ſecundum habitum ſui *ad mobilitatem*, vel minus vel magis moratur *actum* motus.

Clarebit res exemplo. Sive levem, ſive gravem habeam in manu rem; poſſum levem *languide* tollere, aut cito deponere: *gravem*, collectis viribus, *cito ſurſum* rapere, aut *tarde* demittere. Nempe contra totam proportionem *mobilitatis a poſteriori* ſpectatæ, in ipſo ſubjecto.

Con-

Contra vero, ſi motus *ſimpliciter* ſequatur conditionem *ſubjecti*, ſecundum hujus *proportionem;* eveniet inde ſucceſſus, qualem veluti præſcribit *materiæ* conditio (inter alias materias circumſtantes) *motui*, ſeſe accommodanti, aut ad intenſiones *arbitrarias* prorſus inepto, ſeu impotenti.

Unde utique attendendum eſt ad expreſſam verbis luculentis determinationem, quod nempe non *Univerſa* integritas Motus (*vitalis*) dependeat ab *organorum* conditione. Ratio: quia *ſalvis organis* Motus poteſt *non* fieri, aut *aliter* fieri, quam *tali tempore* ulla *organorum* inclinatio, *tendentia*, aut quomodocunque tandem nominetur, ullam occaſionem præbeat. Directe vero & exquiſite, juxta illam *Intentionem Idealem*, *finalem*, quam eo tempore *animus* ſibi *fingit: Fingit*, inquam, e *perverſa & inani ſubſumtione*, *temere concludendo*, efformat. De qua re latius egi, (licet brevitas in verbis obſcuritati anſam præbere poſſit,) in Programmate: *Quod alterationes Motuum Vitalium pathcticæ non ſint tumultuariæ ſimpliciter*, &c.

Quod vero e p. 76. allegatur, *quod difficultas inexplicabilis fere maneat, quæ & qualesnam ſint tales ſuppoſitæ materiæ*, &c.

Hujus moniti *nervus* non ſatis agnitus eſt. Eſt autem duplex: 1) *Theoreticus:* 2) *Practicus.*

I. *Theoreticus*; dum talium opinionum Autores multa quidem atque varia producunt, quibus tales *Materias*, earumque veritatem, adumbrent:

Quæ tamen omnia, craſſis modis, impingunt

1) In *veritatem* reliquam Phyſicam, & *Phyſico-Chymicam:* dum v. g. nullum *acidum*, nullum *alcali*, quantumcunque ſive *forte*, ſive *temperatum*, ullum *talem* ſpecialem, imo rariſſime generalem, *effectum* vere in Corpore producit, *quales* illi jam *acidæ*, jam *alcalicæ*, jam *cauſticæ* indoli cauſarum morbidarum tribuunt.

Conferatur Programma de *Pathologia ſalſa.*

2) In *manifeſtas*, & communiter ſatis rationabili *intentioni* (ad *ſalutarem*, & ſæpe *neceſſarium* finem) conformes *actiones* motorias; tam *directas*, ſub toto complexu ultimato *ad finem:* quam indirectas & *intermedias*, quæ nempe e *ſocia* conſpiratione,

& ſubordinatione Motuum in Corpore *Syſtematica*, neceſſario concurrunt & ſociantur.

3) In *methodum* atque viam longe & *faciliorem*, & rationi planiorem, quam ipſa Natura, ſeu *Anima, a DEo* ſibi præſcriptam & inſcriptam, tum ipſa habet & exercet, tum nobis ita oſtendit, ut ipſi forte *laboranti*, (certe ſæpe copia & impetu materiæ, ultra capacitatem Organicæ ſuæ poteſtatis, obrutæ,) *hac maxime via* ſubveniamus, &c. Quæ nempe eſt

II. *Nervus* ille hujus moniti *Practicus*, ut potius *hac via*, „quam notam ſibi atque tritam, imo proclivem, habet Natu„ra, (niſi copia aut impetu obruatur, überhäuſet oder übereilet „wird: aut, ad extraordinarios auſus, inſuetudine, tædioſa „pigritia, aut anxio præcipiti terrore, moras nectat: aut er„roneo conatu, ſi maxime in genere excutere intendat, tamen „in ſpecie illud non recte & decenter, juſto loco, tempore, or„dine, conſtantia, proſequatur,) *hac*, inquam, *via* ipſi occurramus & *ſuccurramus*, in hanc revocemus, ita, ſubveniendo, illam *ad ſe reducamus*, ut labantem ſpem & alacritatem reſumat &c.

Cui nempe rei, potentiſſime & planè firmiſſime, ſuffragatur *Experientia;* & hanc viam unice ſtabilit atque aſſerit; *Opinabiles* autem illas diſſuadet: & eventibus, tam perpetuis, quam quotidianis, *damnat*. Conf. Diſſ. *de Curatione Æquivoca*, -- *de impoſtura Opii* --- *de Teneris ægris* &c.

Unde tota fuſior deductio hujus rei, imprimis pag. 77. „cum animi adverſione expendi poſtulat. Nam *ad veritatem Ex„perientiæ*, & *ordinate* atque *rationabiliter, provocanti, minime poteſt præjudicium objicere opinio*, de eo quod *fieri poſſe* videtur, ſed reipſa *unquam* (vere in ſuppoſito ordine) *fieri* nunquam experimento confirmari poteſt.

Hac vero ratione exquiſite retro ruit, & juſtiſſime ita invertitur, (alias etiam in his negativis terminis, nempe de Negatione, hodie, & imprimis in ſubſtrata materia, in genere, veriſſimum) Monitum mox ſubjunctum: hoc ſenſu:

A noſtra ignoratione invalidum eſt argumentum, ad ponendam atque aſſerendam rem.

Ab

Ab ignoratione, inquam, contrarii *facti*, ad poſitionem contrariæ *potentiæ*. Siquidem quod *nunquam factum eſt*, *in Vera potentia* exiſtere, ſeu *vere poſſe* fieri, non valet conſequentia, in ordine ad *probationem* & *theſin* inde firmandam.

Sicut enim hoc reſpectu juſtiſſima eſt illa petitio uſitata: *Affirmanti incumbit probatio:*

„Ita certe tantiſper, donec probetur, valet abſolute argu„mentum negativum; Nempe: quod quicquid in ſolidum „ignoratur, & non ſolum illud in forma, ſed etiam ſimile & „proxime geminum quiddam, nullam agnitionis juſtitiam ſua„det, illud valide negari poſſit, in contradictorio.

Siquidem rationi conſentaneum videtur, quod qui rem ponere, in conceptum ſiſtere, & producere, ſeu potius deducere in actum, vult & in ſe recipit; plus præſtare debeat, quam ille, qui nihil neque perceptum, neque receptum, aſſecutus adhuc eſt.

Unde in viam utique reducendum eſt hoc monitum, *quod a noſtra ignoratione, ad negationem veritatis rei, abſolute valeat conſequentia, donec probetur contrarium.*

Ultimo, mallem profecto tales expreſſiones abfuiſſe, quæ omnem ſpem phyſicorum conceptuum de rebus corporeis graviter affligunt, qualis hic iterum de *Igne* profertur, quod *ille* Aërem *attrahat*, fuliginem *abigat*, &c.

Cum, ut ego quidem puto, abſolute nullus conceptus de vera ratione, quomodo fiat, & quid ſit *Ignis*, unquam formari poſſit, quamdiu ordo ita plane invertitur; dum Aër, abſolute & ſimpliciter, *impellit* ignem, *incurſu* ſuo & *concurſu*, illum revera *producit*, &, quamdiu durat *materia*, & *Aëri* liber & æqualis manet ille aditus & concurſus, eundem *conſtituit*, (ſiquidem, in reſpectu quæſtionis, nihil hic eſt poſterius, quod differat ab eo quod fit prius, de uno momento phyſico in alterum,) producit, inquam, imo eſſentiali etiam concurſu atque admixtione momentanea *format* Ignem: nedum ut ab Igne *attraheretur*. De *fuligine* vero ne quidem vulgus crediderit, quod *ignis* eam expellat: Cum in *lampadibus* ſuis, tanto magis autem *ſebaceis* & *cereis*, ſatis oculis diſtinguere noverit, quando *fuliginibus* ſit lo-

 cus,

cus, aut non ſit. Et quæ ibi ſit, non *Ignis*, ſed Aëris ambientis efficacia, quæ citius dimittat & emittat *materiam*, quam exquiſite in *Ignem* tota converſa ſit, ſed potius vix forte milleſimam partem, imo longe minus, attigerit aut ſubiverit ejus attenuationis, ſeu vere phyſicæ *diviſionis*, ſub qua puram & exquiſite dictam *flammam* conſtituit (*materialiter*, inquam.)

DECIMUM SEXTUM autem thema iterum operoſe evolvendum eſt, ut appareat, *an*, & *quid*, meis aſſertis obſtare poſſit.

„Licet *appetitus*, aut *averſio*, *animæ*, (etiam non animad„vertentis,) concurrant conatibus corporis, attrahentis ali„quid aut rejicientis; (quod electionem vocare p. 78. ego „Domino Autori videor) non ideo tamen putandum eſt, nu„dum appetitum aliquid præſtiturum, niſi concurrant motus, „appetitum præcedentes.

A. Ego vero (in hac quidem pag.) non dixi quidquam, quod *appetitum* aut *averſionem animæ*, (uſitato ſenſu dictam, ut Scriptum etiam uſurpat) concernat: Sed ſimpliciter proſecutus ſum

Executiones actuum ad *finem vitalem*, nempe corporis *conſervativorum*; Quales *fines* & *methodum* hoc agendi, & *intentionem* firmam, (quæ ab *appetitu*, ut Scriptum accipit, longe plurimum differt) ad hoc agendum, in primis lineis hujus paginæ, a ſuprema Sapientia & *præmonſtratos* & *præfinitos*, declaravi.

Unde hæc quidem objectio aliud aliquid pro objecto habuiſſe apparet: Tanto magis, cum etiam præcedentes duæ pagg. nihil de hoc (*ſenſu ſcripti*) afferant.

Conatus autem illos Corporis, *attrahentis* aliquid aut *ejicientis*, equidem in meis dictis non agnoſcere apparet: bene vero eo trahere videtur locutionem, quæ in ultima linea paginæ all. occurrit: quæ tamen utique eo ſenſu a me allata eſt, ut eam potius *improbem*, quam adſtruam.

Ubi poſſet quidem dici, quod ſi vel maxime ego hanc rem non approbem; velit tamen illam approbatam Scriptum:

Sed

Sed ita emergeret hic ſenſus:

Autor paginæ 78. dicit quidem, potius *aliud quiddam* in Corporis adminiſtratione Vitali fieri ſolere, quam ut aliquid ibi, ſive prolixe *ſeligatur*, ſive operoſe & ſucceſſive *ſubigatur*, & immutetur:

Sed fit omnino talis *ſelectus*:

Et hoc *ab ipſo Corpore*, & illi inſitis *conatibus attrahendi*, aut *ejiciendi*.

SED ITA HÆC QUIDEM DICUNTUR, SED NUSQUAM PROBANTUR,

Ne quidem, *Quod* fiant:

Nedum: *Quomodo* fiant: ſive *tractione*, ſive *pulſione*:

Ante omnia vero, *a principio Corpori inſito*, quatenus *Corpus* eſt, aut quatenus *mechanicum* eſſe dicitur:

Non vero *organicum*, id eſt, non ab *Anima*, illud *actuante*.

Quod vero ultimo additur:

„Non tamen ideo putandum eſt, nudum appetitum aliquid præſtiturum, niſi concurrerent Motus, appetitum præcedentes:

Hoc totum quidem iterum, non æque video, quomodo ad pag. alleg. quadret, per dicta. Interim aſſumam illud in terminis habilibus,

Tam de *motibus* directe voluntariis:

Quam de motibus *indiſtincta* voluntatis directione actuatis, nempe *Patheticis*.

De utrisque talibus, *Motibus*, inquam, (etiam manifeſto ab Anima & inchoatis, & limitatis voluntariis) ego, tantum abeſt, ut negem, ineſſe in Corpore (*ut vivo*) *præcedaneos* aliquos Motus, & in genere *univerſalem* illum Motum, (quem vero atque ſano ſenſu *Tonicum* produxi, etiam primus) ut potius hoc quam maxime urgeam.

Minime tamen ſenſu, quem ſcriptum oſtendit, nempe quod tales *præcedentes* Motus ſint *ipſius Corporis*, quatenus Animæ, ejusque actuationibus, *contradiſtinguitur*:

Sed unice differant, ut actus *generaliores* & *ſpecialiores*; ad *finem* generalius perducentes & ſpecialiſſime denique pertingentes.

Unde iterum non in me, ſed in contrariam aſſertionem incumbit *probatio:*

Non, quod actus aliqui præcedentes in Corpore fiant, antequam actus, *appetitui* animæ cuicunque *ſpeciali* proxime ſervientes, exerceantur:

Sed: An illi *præcedentes* Actus ab alio principio, *Corpori, qua tali, intrinſeco,* & *ab anima diverſo*, præſtentur?

Ubi nempe, ſi res undique & undiquaque circumſpectisſime & dexterrime expendatur, illud ſolum reſultabit,

Quod *in Corpore nulli ſint Motus præcedentes*, ſed ſola *Mobilitas* ſeu *Habilitas ad motus:*

Motus vero Univerſi, tam longa ſerie mediati, quam denique ultimi, & reſpectu effectus immediati, ſint ab *Activitate* ipſius *Animæ:*

Secundum ſuos *appetitus*, (*voluntarie*, uſitato ſenſu,) & uſus atque *neceſſitates* (non *voluntarie* ſeu *ſponte*,)

Tam ratione (congrui, aut arbitrarii,) *temporis inchoantis:*

Quam ratione congruæ *proportionis, regentis atque dirigentis:* MOTUS.

Succurrit autem hic, merito certe, memoriæ, imo animi exquiſitiori intentioni, non minor, quam hic in Microcosmicis rebus, *Macrocosmicarum* rerum, circa Motus *inanimatorum* intricatio, in mentibus hominum, imo hodiernorum multorum de rebus Phyſicis ſpeculari geſtientium:

Dum etiam in *Macrocosmo* Motuum *præcedentium, generalium, indeterminatorum*, ſed ad quaslibet determinationes (tanquam in tranſitu) pronorum; Latiſſimum horum, inquam, ambitum, perpetuam præexiſtentiam (in ordine ad ſpeciales) & in immenſum patentem copiam, ne usquam utique deſint ſpecialium eventuum poſſibilitati, vix quisquam ad animum admittit, nedum ipſe perpendit aut docet.

Quæ nempe negligentia neceſſitate quadam introduxit operoſiſſimam illam ſuppoſitionem, ſingulis minutiſſimis *inſitorum immediatorum agentium, reniſuum* &c. Sed hæc nondum ſunt præſentis loci.

Unde non placet, niſi ſolo nomine, notare atque commendare diverſitatem *Motuum Univerſaliorum*, *Syſtematicorum*: & *apophoretorum*, *decerptorum*, in *tranſcurſu*, imo *ipſo tranſcurſu*; operantium: & inter numeroſa, ſimul occurrentia, varios etiam, ſed *reciprocos atque reſpectivos*, effectus exſerentium: quos fruſtra *inſito actui* illorum ſubjectorum deinde attribuere, hodiernis moribus uſitatum eſt, &c.

DECIMO & SEPTIMO loco miratur Dubitatio, quomodo in tales cogitationes devenire potuerim, ut

Fundum mali circa doctrinam de *Mixtione* hærere aſſeram in *Ariſtotelica* ſpeculatione de *diviſibilitate Corporum Mathematica in infinitum*. Et quod hanc rem, ſi decenter æſtimetur, dicam eſſe primam aberrationem, & verum πρῶτον ψεῦδος.

Quamvis autem meam ſententiam revera non recte acceperit, ut paulo poſt monſtrabo: tamen, ut fere perpetuo factum eſt,

Rationis loco addit *alias poſitiones*, dicens: Mathematicum hic a Phyſico non differt, niſi ut abſtractum (in) animo, a concreto rebus. (Ut phantaſia & memoria, a re, quam ſenſibus vere comprehendit.)

Neceſſe eſt, ut omnis pars extenſi ſit extenſa:

Quod maxime in linea recta manifeſtum eſt;

Ubi pars eſt ſimilis toti:

Itaque pars rurſus partes habet.

Quæ diviſio non tantum in Geometria locum habet:

Sed etiam in Phyſica:

Nec tantum diviſibile eſt Corpus in infinitum, ſed & actu diviſum.

Recipio ego in me, *probare, quod hæ aſſertiones non poſſint veræ* eſſe; nec *a priori*, nec *a poſteriori*.

I. Quia non *probatæ* ſunt, ſed ſimpliciter ita enunciantur:

II. Nec *poſſunt* probari, niſi per *petitionem principii*, quod *Extenſi eſſentia* abſolute conſiſtat in eo, ut *habeat partes extra partes*:

III. Quod

III. Quod vero etiam quælibet *pars extenſi* habeat partes extra partes; non ex eo, quod etiam ipſa pars, æque uti totum, ſit extenſa, quod nova probatione indigeret: ſed per parem reciprocam *petitionem principii*, quia extenſim ſit diviſibile in infinitum, & conſequenter omnes ejus partes. Inde vero

IV. Reſultat hujus propoſitionis falſitas etiam ut a poſteriori, quia *hac ratione totum non eſſet majus ſua parte quacunque.*

Si enim *extenſum* habet partes extra partes *in infinitum*;

Et *pars qualibet* infiniti etiam eſt *extenſa*, adeoque etiam habet partes extra partes *in infinitum:*

Neceſſario *totum* non erit majus ſua parte; quia ambo habent partes extra partes (ſeu patent) *in Infinitum.* Quod nullum nec numerum, menſuram, adeoque rationem magnitudinis, admittit.

V. Jam vero, ſi ullus reſpectus ſit aut prætexatur, quo minus pars ulla totius, minus (id eſt, non) habeat partes extra partes *in infinitum:* Sequetur, quod neque totum hoc ipſum habeat. Si enim non per omnia ſit infinitum, non erit in ſe infinitum.

Minime autem omnium hic me movet Epiphonema illud, quo tota hæc ſcena clauditur.

Qui hæc non animadvertit, parum aſſurgit ad incredibilem Naturæ Majeſtatem.

Certe enim *incredibilis* hæc erit, & ne credenda quidem, nedum noſcenda; ſi non ſolum probari nulla ratione poſſit; ſed etiam ejusmodi inextricabilibus implicationibus ſeſe in contradictiones præcipitem det.

Addo, quod *Uſum* nullum haberet: Cum omne illud, quod ab ipſa expectari deberet, (quamvis *infinitum* ſit plus quam *Omne*) abunde habeatur in *ſucceſſu* ipſius *Motus*; indeſinente, non per infinita, ſed (ſufficit abunde) per finite Phyſica puncta, (ſui, & Corporum;) Nempe in indefinitum patentis atque circumagentis *Motus Syſtematici*, cujus exempla, & quaſi ſpecies (ſed in immenſum patentes) *ſubalterna*, nimio plus ſufficiunt ad omnia phænomena, vera & realia, Phyſica, affatim & abunde præſtanda.

Ave-

Averem autem profectò, ullam rationem, *Phyſicam* aut *Mathematicam* audire, quæ ſaltem τὸ ὅτι, *quod*, inquam, talis *diviſibilitas* in Univerſo exiſtat, veroſimile reddat.

Ego ingenue fateor atque profiteor, quod nullam unquam potuerim hariolari, niſi ſolas ſpeculationes de *radio luminoſo:* quem nempe ſine hac *diviſibilitate in infinitum*, ſeu potius *actuali diviſione in infinitum*, vix ſalvare licuerit ab altero illo ſcandalo *penetrationis* dimenſionum: Sed præter illud, quod neque *diviſibilitate*, imo ne *diviſione* tali, ſatis ſalvetur : certe præſto eſt alia ratio, quæ omnem hunc metum eximat, & tam alienas novas ſuppoſitiones otioſas reddat.

Plura de hoc forte adhuc occurrent infra, ubi de *penetrabilitate* actu diviſorum corporum.

Sed cum hæc velut extra oleas vagentur, & certe plane peculiares disquiſitiones poſtularent, progredior potius in noſtris ipſis propioribus rebus, *de Mixtione:*

Ubi illud attingere, ipſe fert ordo, quod ſupra pag. 63. proſequendum reſervavi. Pergit ſcriptum:

Illud recte notatur, falſum eſſe , quod Ariſtotelici vulgo ſibi perſuadent, *partem Mixti, quantumvis parvam, eodem modo mixtam eſſe poſſe, ut eſt totum.*

Hic neque cavillandi occaſionem captare, neque rem aut propoſitionem, ejusque habitum ad ante dicta, non intelligere videri lubens velim.

Agnoſco diverſa eſſe :

1) Pars Mixti, quantumcunque parva, non eſt eodem modo mixta, uti totum.

2) Si Mixtum dividatur diviſione in infinitum, poteſt hac ratione dividi ſine ordine ad Mixtionem.

3) Interim opinio *de diviſibilitate in infinitum* poteſt dare, (quæ eſt mea ſententia) aut non poteſt dare (quæ eſt adverſa) occaſionem alieno conceptui de vera *ratione Mixti ſtatus.*

Agnoſco, adverſam ſententiam ita poſſe excipere: licet de eo mecum faciat, quod *Mixtum, quatenus* aut ſecundum quod *Mixtum* eſt, non poſſit dividi in infinitnm: Poſſit tamen ſecundum illud, quo *extenſum* eſt.

Interim & quanquam hæc ita dici poſſe agnoſcam, nec etiam prioribus his tribus modis aliquid ſtricte diſſentiam:

Nego tamen, quod e ſuppoſitione *diviſibilitatis* in infinitum, quoquo tandem reſpectu, non etiam *ſequatur diviſibilitas reſpectu illo, ſecundum quem mixtum eſt, Corpus.*

Si enim quodlibet Corpus, qua extenſum eſt, poteſt dividi in infinitum: *Neceſſario etiam quælibet ſingula Corpora, quæ Mixtum efficiunt, dividi poterunt in infinitum:* Adeoque *Mixtum, quatenus etiam Mixtum* eſt, *poterit dividi in infinitum:* i. e. in quantalibet parvitate, in infinitum, *eadem ſpecies Mixti manere.*

Hoc autem ego Nego, ex illis rationibus:

1) *A priori:* Quia diviſibilitas in infinitum, in genere, non probata adhuc eſt de uno, numero & ſpecie, Corpore: Nedum ut de pluribus, ſive ut ſingulis, ſive ut ſociis, probari poſſit.

2) *A poſteriori:* Quia experientia nusquam ullum ſpecimen ſuppeditat quod tale quidquam actu fiat aut exiſtat, ut, inquam, Mixta, etiam ſub immenſa diſſolutione diminutiva, inveniantur. Sed vel ſatis craſſam tueantur magnitudinem, ultra quam ſe extenuari non ferunt, experientiæ ſuffragio: Aut, ſub ſatis craſſa adhuc magnitudine partium ſui conſtituentium ſeceſſum mox ſubeant, nulla diviſibilitatis in infinitum ne ſuſpicione quidem, nedum docimaſia.

3) Imo etiam in variis Mixtionum ſpeciebus nusquam *opus* ſit, nec usquam juſta *ſuſpicio* ſit, ex Indefinita, nedum infinita, parvitate, arceſſi debere aut ſolere illorum conſtitutiva materialia principia: ſed experientia indies teſtatum faciat, quod illa ſatis prope, & affatim paſſim, ad manus ſint.

Si recte in hoc negotio verſaretur adverſa ſententia, poſſem illam ex aliqua parte ſalvare: Sed in terminis, ut proponitur, non poſſum illam ſanare.

Putat ſeu conſentit, falli Ariſtotelicos, quod ſibi perſuadeant, partem Mixti, quantumvis parvam, POSSE eodem modo Mixtam eſſe, ut totum.

Hic ego iterum dico, quod, ſi illud verum eſt, quod omne corpus poſſit in infinitum dividi, Neceſſario ſequatur, quod

POS

POSSIT portio Mixti in quantalibet parvitate eundem modum mixtionis (materialiter) poſſidere, quem totum, i. e. majus, indiviſum.

Aſt vero ſi hoc vellet dicere, quod etiam in Mixto Corpore tam poſſit, quam forte ſoleat, talis diviſio evenire, (etiam ex hypotheſi ſua in quantumvis indefinitum,) quæ propterea non neceſſario æqualiter omnes partes Mixti dividat, poſſet audiri. Sed ita non dicendum eſſet, *non poteſt* eundem modum ſervare: ſed deberet dici, poteſt eundem modum *non ſervare*, i. e. Man kan ein Mixtum auch ſo zertheilen / daß ſeine Theilchen in ungleicher und anderer Ordnung / als dadurch ſie das Mixtum formiren / zerſtreuet werden: ſed non poteſt dici, ut jacent verba: Es kan kein Mixtum, nach allen ſeinen Theilchen ſo getheilet werden / daß auch noch ſolche Theilchen eben dasſelbe (ſpecie) Mixtum machen / numero infinito: ſiquidem ſtabilita opinione de *diviſibilitate in infinitum* abſoluta, hæc omnes reſpeſpectus ſub ſe complectitur.

Unde iterum iterumque inſiſto dicere & aſſeverare, quod proprie hæc perverſa præſuppoſitio *de diviſibilitate in Infinitum* obſtiterit *Ariſtotelicis*, quo minus ullum realem & ſolidum conceptum haurire potuerint de vera tam *materiali*, quam *formali* ratione *Mixtionis*, uti vere fieri ſolere percipitur.

Hinc enim unice quaſi manifeſtum eſt, (nec unde vero alias conceptibile) enatam eſſe confuſam illam ſententiam omnium Ariſtotelicorum, quod Mixtio ita novam *formam* conſtituat, quæ totam *materiam* informet, & ſecundum totum *immutet*, ut tota *æqualiter* ſit illud novum, quod nunc eſt.

Vt videlicet, quocunque loco, ſitu, tractu, linea, etiam in infinitum dividatur, quælibet talis pars ſit *hujus totius*, non quatenus totum eſt, ſed quatenus *Mixtum* eſt, pars.

Si enim hoc non ſenſiſſent, non oppoſuiſſet Magiſter ipſe, Ariſtoteles, hoc Argumentum Democrito, ἀτομίαν ſuam in determinata certa magnitudine, & certa figura, juſtiſſime collocanti.

Argumentum,inquam, *de diviſibilitate in infinitum :* propter *extenſivitatem :* & hanc propter *quantitatem :* & hanc propter materialitatem.

Quæ omnia propterea nunquam deſiſtam, in hoc ordine, nexu, & acceptione, ingens, fundamentale, & verum *πρῶτον ψεῦδος* inclamate atque notare.

Et revera ætatem incredibile habebo, quod in talibus rebus, omni probatione deſtitutis, ab omni conceptu alienis,nec ulli etiam uſui ſeu neceſſitati dicandis, *Majeſtas aliqua Naturæ* quærenda aut invenienda ſit, aut illa in *diviſionibus in Infinitum* ullam gloriam vel invenire poſſit, vel quærere cordi habeat.

Quam, ex adverſo, in *Motuum Syſtemate*, quale ab *Univerſalibus*, & latiſſima poteſtate atque ditione *ſubalternis*, ad *particulares* & *ſingulares* porrigitur; & toti, quoad percipimus, Univerſo, *jugiter*, *æqualiter*, & *conſtanter*, inditum conſervatur, abunde invenio; & nulla opinabili ſuppoſitione adumbrare neceſſe habeo, ſed nuda exquiſita Hiſtoria rerum Naturalium, ut vere *ſunt*, atque *Fiunt*, affatim illuſtrare atque confirmare poſſe, confido.

Merito autem ita ſicco pede prætereo, quæ adhuc poſſem monere, circa illa, quæ dicuntur de diviſione Corporum omnium in infinitum *actuali :* In qua multas (ex hypotheſi infinitas) varietates notare integrum eſſet, ſi modo *ſenſuum ſubtilitas* negotio par eſſet. Ego vero pro certo habeo, quod etiam nullius *rationis ſubtilitas* huc collineare poſſit,cum ſit contra omnem conceptibilitatem tantundem, quantum ſupra omnem perceptibilitatem; Et perceptibilitas nulla neque ſuadeat usquam talem rationis indefinitum progreſſum, ut tale quidquam ſupponat, pro ullo Phyſico vero phænomeno ſalvando.

DECIMO OCTAVO loco, agnoſco peculiarem favorem in Chymiam; utique poſtquam etiam hæc non diſplicent,quæ plane de grege ſunt: nempe generalem quandam rationem materialem ſolum commonſtrant. Spero autem benigne etiam interpretatum iri, ſi excuſem me, quod hæc talia non intellecta velim pro Chymia quadam *Corporea machina*, quate-

nus

nus talis eſt, propria; nempe operatione, ultra coitionem ſic ſatis facile (licet non firmiſſime) cohærentium, & ultra ſeceſſionem minus idoneorum ad hanc cohæſionem, aliquid ſive directe combinante aut conjungente, ſive peculiariter aptante aut *eligente*.

Quamvis *inorganicum* quendam, & ſelectivum, & ita combinativum, & in definita menſura hoc præſtantem, *Actum*, adſtruere, ſatis proclive foret, & in Vegetabilium republica ſummam Veriſimilitudinem præ ſeſe fert, ſed certe a Corporea activitate quacunque plane *diſcrepantem*:

Sed cum obiter hæc attingantur; nec etiam proinde operæ fuerit pretium, in illa impræſentiarum diffundi.

Quod autem placere videtur, ut Natura *glutinoſitatis animalis* paulo accuratius explicaretur; proferam lubens, quæ in hanc rem facere novi.

Ante omnia *hiſtoria* in ordinem redigenda eſt. Non enim omnis glutinoſitas animalis *coquendo* indureſcit; quod exemplo ipſius glutinis vulgato ſenſu dicti, Leim/ manifeſtum eſt, quod coquendo e partibus animalium producitur, unde tota cutis, imprimis autem ligamenta, & multi tendines, (plebi das Aederichte, weiß Geäder, Spann-Adern, Flexen, Sehn-Adern) maximam partem in tale gluten decoquendo colliqueſcunt; quod calore eximio diffluit, frigore congelaſcit.

Sunt autem certæ ſolum glutinoſitates, ſeu potius mucoſitates animales, quæ hoc faciunt, ut coquendo, ſeu eximio calore, denſentur, & majorem duritiem ſubeant. Tales ſunt, *albumen ovorum*, *Lympha nutritia* purior, pars aliqua *lactis*, & humor ita dictus *Cryſtallinus* oculi.

Neque tamen quidquam horum tota ſua apparente menſura coaleſcit ita ſeu coit; dum Albumen ovorum equidem denſatur, ſed detenta adhuc intra poros portionis vere obdureſcentis tanta quantitate humiditatis aqueæ, ut, ſi illa penitus inde exhalet, longe infra quinquageſimam proportionem priſtinæ menſuræ extenuetur, amiſſo etiam multo pondere.

(Qualem quidem Aquoſitatis interſperſionem inter ſoli-deſcentis aggregationis corpuſcula levi experimento deprehendere licet in communi Vitriolo, quod facile media ſua parte communis aqua eſt, quæ etiam nudo calore, qualis hyeme juxta fornacem vigere ſolet, aliquot diebus tacite & quaſi ſponte ita exhalat, ut reliquum, priſtinam compagem denſitatis hinc amittens, pulvis ſit, levi tactu collabaſcens.)

Quod autem omnium hujusmodi coaleſcentium glutinum conſiſtentia, ad hunc effectum, plurimum debeat pingvedinis copioſiori & intimiori immixtioni, monſtrare videtur experimentum culinis notius, quam Chymicis, interim ad hos erudiendos omnino aptum. Nempe: Si lac bonæ conſiſtentiæ ſeponatur, donec aceſcat, quando tale incaleſcit, coëunt partes ejus multæ in grumos: Si calor augetur, & quo magis quidem hoc fit, eo durior evadit grumorum conſiſtentia.

Si vero etiam Cremor lactis colligitur, ut reſiduum valde aquoſum ipſo colore & ſemidiaphana tenuitate teſtetur, ſeceſſiſſe præcipuam partem conſiſtentis portionis: quæ e contra e Cremoris ſpiſſitudine dispaleſcit: Si hic Cremor adhuc dulcis coquitur, nullam denſationem format. Si vero aceſcat, & deinde coquatur, grumeſcit æque atque prius in lacte. Quando vero ebutyratur, inde pinguedo etiam ſuperflua & ſuperficiarie magis intermixta, & tunc reſiduum coquitur, ſervat quidem atque format exiguos grumulos, quos ante coctionem jam præ ſe tulerat; ſed non coaleſcit in tam grandes, denſos atque duros, uti quidem in lacte integro, aut cremore non ebutyrato. Niſi quod hic etiam aliquid ipſa agitatio discerptoria actus ebutyrandi conferat, ad grumos illos in minores moleculas divellendos, qui deinde non amplius coacerventur, ſed ſigillatim ſolum, quod longiore coctione augeſcit, magis magisque obdureſcant. Sicut etiam ova, quo diutius coquuntur, eo duriora reapſe evadunt, imo & in arctius ſpatium coeunt.

Ratio

Ratio itaque aliqua eſſe videtur, quod in talibus generibus mucilaginoſæ conſiſtentiæ, copioſius & intimius cum ſubtili terreſtri ſubſtantia remixta pinguis ſubſtantia, inſtituta majore agitatione aqueæ fluiditatis, imo ſui ipſius, (pinguedinis) citatiorem ſeceſſum e latifundio aquæ ſubeat: Cum vero ſociatur ſibi aliquanto ſubtilius, terreas particulas neceſſario ſecum corripiat, fit inde quidem ſeceſſio ab aqueis, in arctius ſpatium; ſed & ſimul in craſſiorem coacervationem, quæ terrearum particularum eſt indoles, ut in majores moleculas collabaſcant, quæ & perſpicuitatem fluidi obſcurent, & denſiorem molem ſeu maſſam forment, ut ex omnibus præcipitationibus in oculos incurrit.

Supereſt autem etiam alia adhuc diverſitas animalis glutinoſitatis, a vegetabili mucoſitate; quod illa calore eliqueſcat, frigore in gelatinam conſiſtat: vegetabilis non item. Sed jam forte fui nimius. Unde de aquatilium glutinoſitate ne quidem mentionem adjicere placet, quæ etiam variare certis modis obſervatur ex hiſtoria harum rerum curioſa. &c.

Tametſi autem hæc interſcenia alieniora ſunt a præcipuis noſtris propoſitis, &, ſi non abducunt a ſcopo, certe diducunt atque diſtrahunt: Appropinquat tamen, licet probabiliter citra directam intentionem, illorum dubiorum Mimus, quæ ſuo pondere plus poſſunt aut valere debent, quam omnia alia hucusque dicta atque decerpta.

Loquor de habitu *Energiæ, Animæ, pathemata*, i. e. *ratiocinalis intentionis*, & ſecundum hanc *appetibilis inventionis*, circa *Motuum directiones erroneas* perpetrantis.

Et mox, *de Habitu Energiæ Animæ* ad ipſum *Actum Motus.*

Certe enim, ſi res recte intelligatur atque perpendatur, hæc duo conſtituunt lapides Fundamentales totius *Energiæ* meo ſenſu *Organicæ:* Quos ſolos ſufficit in ſolidum evertiſſe, & ſtatim totum meum ædificium ruet. Et contra, niſi hoc præſtitum ſit, contrariæ ſententiæ locus nullus erit, nedum conſtantia.

Videamus ergo, quomodo mens mea percepta ſit; quid ibi

ibi *ſupplendum*, quid adhuc magis *elucidandum*, quid denique *Dubio objecto* inſit efficaciæ.

DECIMO NONO itaque loco quod allegatur e meis aſſertis, in ſe ſic ſatis placere videtur; Puto autem ad tanto latiorem applicationem inſervire poſſe, quæ de hac eadem re protuli Diſſertatione de *Temperamentis*, Cap. X. *de Uſu Doctrinæ Temperamentorum Phyſiognomico:* Qua in re ſatis ſecurus ſum, melius æque ac facilius intellectum iri fundamentum, cui totum negotium ſuperſtruo, nempe: quod idem *typus Actionum*, (ſeu *ad agendum* & *in agendo*,) qui poſthac uſurpatur & ſervatur, in actionum etiam puriſſime *voluntariarum*, *auſu* ſuſcipiendi, (ſpe, aut dubitatione graviore, ſuccedendi,) *tempore* proſequendi, (alacriter, confidenter; liberaliter & æquabiliter: languide, negligenter; vigilanter, cum multa proportione, & cautione ſeu circumſpectione) *tenore* operandi, (præſente, aut fugitivo atque palpitabundo, vigore)

Quod, inquam, idem *typus* quam maxime præſto eſſe ſentiatur, (niſi graves *morales opiniones & aſſuetudines* diverſum per individua introducant, quod tamen nunquam in ſolidum, & vere in contrarium, conſtanter procedit) in talis Individui *Corporeo-mechanica proportione*, ad *Energiam* Actuantem ſeu *Organizantem*.

Unde, dum tale *Agens* hoc Corpus, tales proportiones mechanicas ſortitum, movere per omnia, & primo *cœpit*, & diu continuando, huic *typo* ſervando, *adſueſcit*, & ſine ulla requie aut ceſſatione hoc jugiter Ita agere, atque in agendo ſervare atque ſequi, ſeque ad hanc *proportionem* accommodare, neceſſe habet; Retinet eo ipſo hanc *Ideam Agilitatis* rerum, & *proportionis Activitatis* eidem adhibendæ, ut poſthac ad omnes alias Actiones inſtituendas, ex propria ſua *intentione & inventione*, nullum alium, niſi hunc eundem *typum*, (cui actiones ſuæ in Corpus accommodandæ ſunt,) primo & directe, applicet atque adhibeat:

Quodque hoc nusquam aliunde dependeat, niſi ab eo: Quod conditiones *ad Motus eſſentiam* pertinentes, *gradus* (energiæ) *menſura temporis*, *Ordo* ſeu rythmus (intenſionis, remiſſionis,

onis, alternationis) *Proportio* harum rerum ad *finem* ſpecialem, *Spes* ipſa *de fine*, prompte aut operoſe obtinendo;

Quod, dico, hæ Conditiones *eſſentiales Motus* ſimpliciter convertantur cum *Conditionibus omnis Actus in genere*, ſive objectum & ſubjectum ejus ſit *Corporeum*, (phyſicum) ſive incorporeum (morale, ſeu *intentionale*.)

Et quod hac ratione hæc cauſa, ad TYPUM *actionum* etiam moralium Animæ, per individua, ſit ſimpliciter *mechanica*; nempe originem & initium ſuum habens a Motus Corporei, ſeu in corpus, neceſſario typo per individua. In corpus, inquam, *ut vivum, conſervandum*: Adeoque non e ſimplici *neceſſitate materiæ, abſoluta*, ſed *reſpectiva ad finem*, nempe CONSERVATIONEM ejus jugiter obtinendam. Sine quo nempe reſpectu, poteſt omnino Motus contra uſitatam proportionem agitari, id quod proprie fit in *animi Pathematibus*.

Fuerunt enim hucusque dicta *Animi mores tranquilliores & perennes*: Succedunt *commotiones* ab incidentibus rebus, *alius* typi ad Motus ſeu Actus, quam generalis ille eſt, *ſibi* conſtans & *relictus*.

Sunt nempe *Animi Pathemata* nihil aliud, niſi *præſentisſimæ* quædam, & maxime, ſive neceſſaria, ſive maxime utilis & jucunda, reputata, licet inordinata & erronea, *Intentio*, de rebus vel plane *incognitis* aut *inſolitis*, vel nimia feſtinatione *urgentibus* & *potentibus*; unde nec ſufficiens, (ad omnes veras circumſtantias, ſive rerum, ſive effectuum aut eventuum,) nec ordinata *penſitatio*, conſideratio, intellectus: Nec proportionata veræ rerum proportioni *voluntas*, (appetitus aut fuga:) Nec exquiſita proportionata *directio* Motuum, (ſive admotoriorum, ſive amotoriorum,) formari poteſt; ſed hæc omnia ſecundum *generaliores conceptus* æſtimata, *Intentionem* talem, communiter *alienam*, ſemper fere proportionibus exquiſitis *imparem*, ſatis frequenter etiam a neceſſitate atque vera dignitate rei (Phyſico-morali, nedum ſimpliciter morali) *abludentem*, pariunt.

Non, inquam, Res ipſa, aut *veræ* ejus, minime omnium autem Corporales, *rationes*: ſed *ficti*, aut *incompleti* conceptus

de eadem, & his deſtinatæ erroneæ [plus, minus] *intentiones finales*, & *inventiones miniſteriales*.

Ubi nempe tranquilla, ſed & exquiſita, atque matura tandem, *conſideratione* & intellectus certitudine, dignum eſt,

Quod *pathemata*, neque *præſentiora* neque *violentiora*, Animo concipiantur, niſi quando illud, circa quod jam occupatur ſeu opinatur, *Vitæ* periculum, aut *Corporis* partialem *deſtructionem*, (graviſſime ſenſum afficientibus rebus veſtigia legere ſolitam,) portendere, quomodocunque veriſimile eſt.

Unde quotidianum eſt, graviſſime anxiam querelam, & quæ turbationes fortiores, Vitalibus motibus ſimul inductas, comitem indiviſum habeat, illam maxime eſſe: Ach, ich ſterbe doch hieran: Ich überwinde diß nicht: Ich ſtehe dieſes nicht aus, nempe vivus. Qui metus quando, aut quamdiu, ſive exemptus, ſive obliteratus & ſepoſitus eſt, licet forte impatientes ſint, anxii non ſunt: Et impatientiam nulla tam evidens, aut tam conſtans, alteratio motuum Vitalium (pulſus) ſequitur, quam ab anxietate (de vitæ periculo) inſeparabilis plane eſt:

Hæc, confido, ſufficere poſſe, pro exactiore applicatione typi Motuum in Corpus; & hinc deſumti ſeu transſumti typi Actuum quorumlibet inſtruendorum.

C. Progredior ad dubium, quod ita ſonat:

„*Conjecturis* hujusmodi, licet *ingenioſis*, non nimium tribui „velim. Videmus enim, non raro homines animo leves, me„lius, quam prudentes viros, valere, & morbis reſiſtere: Et „omnino multiplex in his rebus cauſarum implicatio eſt.

Hic ego, primum, non perſpicio, unde hæ meæ, pure atque nude *hiſtoricæ relationes* pro *conjecturis* accipiantur? Iterum dico, *hiſtorica* hæc ſunt: Non *animo*, ſed *oculis*, videntur. Quibus, tantum abeſt, ut nimium tribui poſſit, ut potius nihil quidquam detrahi aut imminui poſſit; niſi ipſam rerum veritatem, etiam paſſim *vulgo*, (carptim,) perceptam atque notam, violare velimus. Unde non ad *conjecturas* aut *opiniones*, ſed ſimpliciter ad *experientiam & obſervationem*, hic provoco:

Modo

Modo commendans utique veram [ſed HISTORICE obſervandam atque deprehendendam] differentiam, *primarum*, inſitarum, ſeu aſſuetarum, *idearum* ſeu typorum; MORUM animi:

Et *ſecundarum*, adventitiarum atque incidentium, inordinatarum & incompletarum *perceptionum*, atque inde immaturarum *concluſionum*, & hinc formatarum tam *intentionum*, quam *inventionum*; Pathematum, ſeu MOTUUM, & *Motionum* animi.

Unde nego, imo pernego, quicquam me in hoc negotio tribuere *conjecturis*, nedum indulgere: ſed omnia unice, uti ſunt *extra mentem*, in ipſis ſubjectis, commemorare, &, cum animi adverſione pariter intuenda, commendare.

Ex adverſo vero merito affirmo, quod tota ratio, quæ huic poſitioni adjecta eſt, laboret

1) *acceptione* a meo ſenſu *aliena:*

2) *Conjectura* quam maxime indeterminabili:

3) & inde utique multiplicium cauſarum *implicato* concurſu.

1) Quod primum attinet, ego nunquam *nego*, quod homines animo leves non poſſint, aut non debeant, melius valere, aut morbis tranquillius & facilius perfungi. Sed *aſſevero* hoc potius.

Levitas enim *animi* mihi denotat periculoſarum & adverſarum rerum *æſtimationem* mediocrem, non valde exquiſitam, aut *ſollicitam*; Unde etiam *intentiones* æque atque *inventiones* carent *tumultu*, *anxietate*, *perturbatione:* Et potius relinquuntur res bonæ quaſi fortunæ: Sie laſſen einem Ding ſo ſeinen Gang, oder laſſen ſichs doch nicht groß angelegen ſeyn.

Quando vero *levitas* animi pro *inconſtantia* ſumitur; abeſt tamen hæc quoque tum a *temerariis* auſibus, tum ab *anxiis* & inquietis *tentaminibus:* Quin etiam a ſupremo illo & præſentiſſimo mali effectus promovendo *terrore*, & *profunda formidine.*

Jam vero notatu non indignum duco, quod fere nulla res pejus cedat, tum *Animo* in ſuis magis *moralibus* auſibus,

tum Oeconomiæ *Corporis*, in *anxiis*, *immaturis*, *inordinatis tentaminibus*, quam præcipitantia, ſeu *præceps feſtinatio*: tam *tempore*, quam gradu ſeu *impetu*.

Quod merito imputari poſſe puto Animæ *humanæ*; Utpote quæ vel *ſola*, vel certe longe *potisſimum*, & male ſperare de quotidianis ſubſidiis, & nova invenire poſſe, ſolet atque geſtit: Adeoque *temeraria* facilitate præmonſtratas, imo præſcriptas, *methodos* atque media, a ſumma Sapientia optime ordinata, cum præter neceſſitatem *timori anxio* indulget, propriis auſibus *ſupplere*, quin potius *melius exequi*, & alio *ordine*, quam quo inſtructa eſt, *alienioribus mediis* atque organis hoc perpetrare, *Errabunda* connititur: & quidem, ſi non unice, certe maxime & ultimato, *ut Corpus ſuum*, officinam ſuam, poſſeſſionem ſuam, retineat, nec amittat: id eſt, *Vitalis ſcopi ergo.*

2) Secundum autem quod ſpectat, firmiter teneo, quod *prudentia* illa, de qua loquitur placitum diverſum, ſit res vix non abſolutæ *conjecturæ*, (opinionis propriæ, aut imputationis alienæ,) & omnino hic maxime 3) multiplex ſit *cauſarum implicatio.* Illud certum eſt, quod ad felicem & æquabilem adminiſtrationem rerum *Vitalium*, (imo & *moralium* eminentium, non varia multiplicitate, de vera bonitate ambiguarum) illa prudentia non opus ſit, quæ vulgo ſub hoc nomine circumfertur; Sed ſimpliciſſima *tranquillitate*, *æquabilitate*, *ſimplicitatis* amore, *multiplicitatis* averſatione, *placida atque ſedata intentione*, *firma & conſtante*, ad *agendum*, imo & ad *patiendum*.

„Hoc modulo prudentes, non curis diſtentos, clandeſtina „aviditate vitæ tortos, rei familiaris ſtatui & eventui immarceſcentes, futuri anxios, audacter nego, experientiam hiſto„riæ noſtræ fruſtrari.

Tanto minus, ſi non e plane tranquilliſſimis rebus in *plane contrarias*, nempe periculoſiſſimas, tanquam immediate transferantur. Ubi tamen etiam *ſedatius mori* obſerves.

Unde profecto nihil amplius, ſed & nihil magis commendo, pro meæ, *relationis* magis, quam *aſſertionis*, fide, quam vere *tranquillam*, & a *præjudiciis* pandemiis, ſub nuda ſimplicitate alienam obſervationem.

VICE-

VICESIMUM dubium occupatur circa animadverſionem a me non ſolum *commendatam*, ſed & exquiſitiſſime *limitatam*, & exemplo prolixe *illuſtratam*, p. 130.

„Monſtro ſimile (ait,) videtur - - Autori, Motus e vitali „cenſu, tam ſanos, quam morboſos, *non eſſe in poteſtate a*-„*nimæ*.

„Erunt contra, pergit, (credo) multo plures, quibus „monſtro ſimile videbitur, eousque animæ poteſtatem ex-„tendi.

Multum veritatis utrinque eſt: decidit.

A. Hic ſi ego rigide vellem agere, deberem *negare*, quod propoſitio hic mihi aſſignata, in ullo meo ſcripto, dicto, aut ipſo animo, fuerit, nec eſſe poſſit, niſi debeam pro homine judicii, imo ſenſus, eloquii, collectionis, probationis, omnium profligatorum, haberi.

Sed nihil pro me loquar: Loquatur textus p. 130.

Certe monſtro ſimile eſt, audire, quod Motus tam ſani, quam morboſi, Vitalis tamen cenſus, NULLO MODO AUT RESPECTU, USQUAM, ſint in Poteſtate animæ rationalis.

An opus eſt admonere, quod ego hic proteſter contra illam ſententiam, quæ Animam AB OMNI poteſtate ullo modo aut reſpectu, usquam, in Motus vitales ſumenda, abſolute excludit.

Quod ſolum hoc, hic quidem, agam, ut obtineam, non a plane *omni* poteſtate excluſam eſſe Animam.

Qui vero fit, ut mihi aſſignetur ſententia, (omiſſis aut ademptis ita meis cautionibus,) directe contraria: Nempe:

Motus e vitali cenſu, tam ſanos, quam morboſos, eſſe (*omnes*, & inſuper abſolute & ſine ulla *conditione*, ſine ullo *reſpectu*) *ſimpliciter* in poteſtate Animæ; & qui hoc non conſentiat, monſtro ſimilem videri.

Puto honeſtiſſimam me habere cauſam, ſi quid ſuper hac ſententia oriretur incommodi, me excuſandi, quod ad me nihil pertineat.

Diluceſcit hoc tanto magis e mox ſubſequentibus.

Primo nempe loco non poſſum agnoſcere, quod animæ quidem appetitibus (ſed immenſa multitudine confuſis, & a noſtra animadverſione remotis,) motus vitales, & exacte quidem, conſentiant.

Mea conſideratio harum rerum fundatur & acquieſcit in rationibus longe ſimplicioribus, ſed & veris, & ut puto evidentibus.

Appetitus animæ Autores Vitalium Motuum eſſe, agnoſco; ſed non *confuſos*, & quidem *immenſa multitudine*: Verum ſatis diſtinctos, & parvo numero.

Demonſtro hoc

1) a *fine*, certe inevitabili. Vult anima *Vitam*, ſeu *durabilem conſervationem* Corporis ſui; quia non tantum *Animæ ſolius intereſt*, ut ſit & maneat Corpus (loquor Phyſice) ſed & abſolute intereſt; cum nullius alius rei ſibi certo & diſtincte conſcia ſit, niſi illius ſolius, quod ſine corpore nihil ſciat, quod agat, nec poſſit agere.

2) Quod ipſum confirmo ulterius, ſimpliciſſimæ rationi conſentaneo illo, & proinde inter Axiomata Philoſophica relato; quod, *qui vult* (appetit) *finem*, *Velit* (appetat) etiam *media*.

3) Jam, ſicut nec *fines* ſunt immenſum multiplices, in negotio *Vitali*; neque *media* immenſa multitudine; ſed illi potius pauciſſimi: Hæc certe non multa: [illic, non libere amiſſioni locum dare, quæ vero teneri non poſſunt, reſtaurare.] [Hic, *Secretionum & Excretionum moderatio*: & *Nutritionis* ſucceſſuum adminiſtratio.]

4) Ita confuſioni, propter hæc ita conſtituta, ullum locum aut occaſionem eſſe, tanto minus agnoſco, cum hæc talia *in ſe*, non valde multa, etiam [ſemper eadem] perpetuo, & magis magisque longiſſimo uſu, facillime notiſſima ſibi reddat.

5) Modo non [notitia] *figurabili*, adeoque *phantaſiæ aut memoriæ* ſubjacente, ſeu in has repræſentationes ab ipſa Anima reducenda.

6) Quod

6) Quod autem Anima, revera etiam non directe illud *cogitans*, habeat *indeſinentes appetitus*, diſerte quoque ad *vitalem* corporis conſervationem, & periclitationum ejus emortualium *evitationem*, tendentes, imo ad hunc ſcopum, tanquam terminum, collineantes, eluceſcit affatim, α) ex illa *averſione* & metu *mortis* nominatim, quam vulgus etiam declarat formula: Der Menſch hat eine natürliche Furcht für dem Tod: *Metu*, inquam, animi: β) e *mediatarum* quoque rerum, quæ forte *lædendo* eo perducere poſſent corpus, (totum aut ſecundum partes,) *averſione* & abominatione, unde etiam nullius divinitatis conſcios mortales, (ut Virginianos) tamen repentini inſignes fragores terrore atque metu afficiunt, ut tonitrua, tormentorum improviſæ exploſiones: Imo vel leviores fragores: Quia etiam infantes ipſos, diſcernere incipientes (licet de morte nullam moralem præfigurationem adhuc capientes,) varia talia *terrore* afficiunt, & *metu*. Non, inquam, contremiſcendi aut *percellendi* quadam efficacia, *Corpus*, ſed *mentem*, anxia illa cura, *concutiunt*. Quod vel ex eo diluceſcit, quod etiam ingens metus, aut certe meticuloſa diffidentia, anxia plane, mentem, non obfirmatam, indies exagitet, & in vanas expectationes ejus, quod eventurum fingit, excitet, ſi ſolum *fingatur*, aliquid adeſſe aut ſubeſſe, quod *neque ſit*, nec proinde ullum ſenſum, aut Corpus ullo modo, afficere poſſit: „ut v. g. quando quis „clauſis, aut tectis & velatis, manibus alteri aliquid in ſuas „tradere ſimulat, alter autem quid ſit neſciat, ſed ignotum ap„prehendere dubitet, & vel murem eſſe, vel ranam, vel ſer„pentem &c. ſecum fingat: &c. &c. ubi certe non *per Corpus* affi„citur mens; interim, dum ſuis fictionibus exerrat, non deſit eo ipſo, quin *Vitales* actus, *pulſum* ante omnia, tremebunda palpitatione, Corpus ſæpe totum, in *Vitalibus* Motibus, *pallore*, *frigore*, *anxio ſudore*, *tremula impotentia*, *debilitate & atonia*, temeret, atque ita Motus *Vitalis* vigorem labefactet. &c.

Quæ nempe non in dies, ſed in horas, obvia, a poſteriori quoque ipſis exemplis, in ſenſus omnino incurrentia, veritatem illarum *intentionum*, *appetituum*, *deſtinationum a priori*, dilucide manifeſtant:

Si-

Simulque Energiam illorum, ad *Motus* Corporis *Vitales*, etiam *principes* & *fundamentales*, *Pulſum* & *Tonum*, potentiſſime alterandum, ſine ulla efficaciter cauſali, *activa*, ſive *complicata*, ſive *reciproca*, *Corporearum* affectionum, in tali caſu, *conſpiratione*, cooperatione, aut participatione: (extra ſolam *receptivitatem* materialem) demonſtrant.

Sine ulla itaque, quæ ibi memoratur, *tendentia machinæ*, in ipſis talibus caſibus, eo quo appetitus, *erroneus*, tum temporis, DIRIGIT unice & impellit.

Unde hæc *tendentia Machinæ ex & per ſe*, ab occurſu talium cauſarum, (etiam undiquaque *fictarum*) quæ ita *Animæ*, eadem hinc concipienti, ſolum *ſociam* operam præſtet;

Probationem adhuc ſui debet, qua non præſtita, nunquam attendetur.

Merito vero peculiari numero ſigno poſitiones, quæ licet in ſubſidium modo dictæ aſſertionis afferri præ ſe ferunt, tamen nec per ſe ſtare poſſunt, nedum ut alii fulcrum præbere valerent. Dicitur itaque

VIGESIMO PRIMO,

„Si anima poteſtatem haberet in machinam, ut aliquid „imperare poſſet non ſponte facturæ, jam nulla ratio foret, „cur non illi imperare quidvis poſſet:

„Cum nulla ſit proportio inter animam & corpus, nec ra„tio aliqua inveniri poſſit, cur poteſtas Animæ intra determi„natas vires coërceretur.

Hic fateor, me nullum hic invenire poſſe conceptui quadrantem ſenſum, præter *unum*; qui tamen vereor ut menti propoſitionis ſatisfaciat. Eſt vero hic:

Si Anima poteſtatem haberet, ut machinæ corporeæ ſuæ aliquem motum inducere poſſet, ad qualem illa nullam mechanicam aptitudinem, ſeu receptivitatem vere proportionatam, haberet: Tunc nulla ratio foret, quo minus omnia in ipſa illa machina, & per ipſam, facere atque agere poſſet.

Iterum autem dico, quod non poſſim credere, quod hic ſit propoſitionis ſenſus. Siquidem ita plane fruſtra prolata eſſet; cum ego Jovem lapidem jurare paratus ſim, quod nemo

ho-

hominum tale quid ſuppoſiturus aut crediturus ſit, quod, hoc ſenſu, propoſitio refellere ſuſcipit.

Unde potius aliud aliquid iterum hic quoque repeti ſuſpicor, quod in illo verbo hæreat: non ſponte *Facturæ*.

Quod, inquam, *Machina corporea* habeat, *primo* & *per ſe*, & quidem *excluſive* ad ullum adjumentum, *Motum ſuum*, quem agitet, celebret, *Faciat:* & illo, quicquid Animæ incidit, illa ſtatim *faciat*, & animæ *voluntatem* verius in hoc actu *præcurrat*, quam ſequatur. Tanto certius, quam quidquid ipſa *machina* non ita *ex ſe* & *per ſe faciat*, omne illud anima abſurde, certe fruſtra & ſine omni eventu, *vellet*.

Dixi ſupra in limine numeri XIX. ſeu potius in exitu num. XVIII. appropinquare tandem illa dubia, [aut certe dubitanda, ſi quid ſolidum tandem elicere ferat animus,] quæ, (ad ſummam univerſæ Diſceptationis,) plus ponderis habeant, quam omnia carptim & tranſitorie dicta reliqua.

Declaravi, quod unum horum ſit *Disquiſitio ordinata*, *perſpicua*, *plena*, de vero *habitu* & [hiſtorice] vero *effectu animi pathematum*.

Arripui proinde qualemcunque ſuppeditatam occaſionem, & explicui de illis mentem meam, imo potius illorum *hiſtoriam;* Quæ ut ſolide & juſta deductione in dubium vocentur, certe propior eſſet ad determinatas tandem concluſiones aditus, & apertior, quam ubi latibulis ſit locus, Regia via.

Capeſſo hic alteram anſam, & occaſione aliquarum poſitionum, quæ partim Corpori ipſi *propriam Energiam Motus intrinſeci*, *primo* & *per ſe* illi competentem, tribuunt: partim *Animæ* nihil, niſi *precariam* participationem, aut potius nudum conſortium, relinquere videntur: partim etiam, & quod fere *palmarium* eſt, de *Energiis animæ* talia inferunt, quæ ego, fateor, nec agnoſcere poſſim, neque adhuc minus ſuſpicionem ſubire debeam, quaſi talia *ex meis* aſſertis fluerent.

Ut itaque eloquar quod ſentio, non potui jamdudum, e talibus opinionibus adverſis, aliud quiddam perveſtigare, neque vero etiam in his ſententiis deſunt diſerta ejus rei indicia, niſi has Poſitiones:

1) Quod *Corporeæ Machinæ* animali propterea *Motus proprius* tribuendus eſſe cenſeatur.

2) Quia *Anima*, [humana imprimis] *impar* ſit ad talem effectum præſtandum, ſeu incapax & *impos Energiæ Motoriæ*.

Antequam tamen hoc ex inſtituto perſequar, ſuperſunt adhuc offendicula aliquot, in ipſa allegata periodo num. XXI. quæ merito tantiſper ſemovenda ad minimum ſunt, dum opportuno loco penitus tollantur. Sunt autem ſequentia:

1) Quaſi, ſi Anima etiam omnia, quæ *Motu* in corpore aguntur, ipſa motu illo ita inducto perpetraret, ſequi deberet, ut *quidvis* in illo, & in illud, agere poſſet, *ad quod ipſum Corpus nullo modo diſpoſitum* eſſet.

2) Quod nulla ſit *proportio* inter *animam* & *Corpus*. [Et videtur, non ſolum ad Corpus organicum animale hic reſpici, ſed ad corpora ſeu res corporeas in generali exemplo prolato, *ſaltationis ad quamlibet altitudinem*.]

Quod *primum* attinet, ſimplici oratione eloquar, quamobrem non agnoſcere poſſim, ſolidam ineſſe vim illi propoſitioni.

Energia, quam *Anima* in Corpus habere dicitur, eſt *Motio*. Jam cum *Motio* habeat erga ſubjectum, quod afficere debet, rationem *relativam*, ut *moveat mobile*, *in quantum* eſt *tale*: Non video hinc deduci poſſe conſequentiam, quod *Anima*, aliter [nedum *indeterminate*,] *Motu* afficere poſſet corpus, quam quoad illius *receptivitas* ſeu *proportio* Motui quadrat. E. gr. Si jam omnino ſuppoſitio ſit tantiſper vera, ut anima moveat corpus; ſi ergo jam vellet brachium movere in linea recta, & huc intenderet omnem ſuam Energiam Motoriam: Sequereturne inde, ut brachium poſſet *longius* movere, quam ipſum eſt: niſi reliquum corpus ſimul moveat?

Sequereturne, ut illud a corpore plane avellat, aut avellere poſſet?

Quænam & qualis ergo, & cur eſſet ſupponenda, aut qualis & quanta poſſet undecunque probari Energia, intuitu *animæ* ipſius?

An *infinita* in ſe? Numne anima ipſa eſt *infinita?*

An

An ulla *actio* animæ, *directa*, & ſine contradictione ipſi *propria*, eſt *infinita*, *indeterminata*, *inceſſabilis*, *incoërcibilis*?

Fateor, nunquam adhuc me hoc audiviſſe, niſi in hac propoſitione, expreſſis verbis: *Nullam rationem inveniri poſſe, cur poteſtas Animæ intra determinatas vires coërceri poſſet.*

Obſigno autem omnino negationem primæ hujus opinionis irrefragabili illo monito Philoſophico: *Agens agit ſecundum receptivitatem patientis.* Determino: *Nullum agens finitum poteſt plus agere in ullum patiens, quam ejus patientis fines receptivitatis admittunt.*

Tranſeo, imo progredior, ad *ſecundum* offendiculum.

Cum *nulla ſit proportio*, ait, inter *animam & corpus*, nec ratio aliqua inveniri poſſit, *cur poteſtas Animæ* intra *determinatas* vires coërceatur.

Si huic poſitioni additæ eſſent rationes probaturæ, illæ expendendæ veniſſent. Cum nullæ afferantur, ipſam poſitionem immediate negare neceſſe eſt: ſed non pariter absque *rationibus*, verum profecto cum illis.

Dabo itaque rationes, quæ illam poſitionem tollant;

A. 1) *a priori*, ab *eſſentiali conditione Animæ*:

B. 2) *a poſteriori*, ab *eſſentiali operatione Animæ*.

A. 1) Eſſentialis *conditio* Animæ eſt, eſſe *finitam*.

Negatur ergo ab hac ratione, quod nulla ſit proportio inter *Animam* & *Corpus*: Sed potius omnino Anima habeat *proportionem* cum Corpore communem.

2) Eſſentialis *conditio* animæ humanæ (nedum aliarum) eſt, ut (ad minimum aliquando, & aliquamdiu) ſit *in corpore*.

(Ubi ſteriles illas vulgatas opiniones, & perplexas, imo perverſas allegationes, non vacat hic excutere: Quod anima non ſit *in Corpore ut in Loco*, aut, non ut in loco *circumſcriptivo*: Nam licet poſterius etiam ipſe agnoſcam, alio tamen ſenſu quam vulgo audio; tamen prius, ut de *generali* acceptione, non eſſe verum, adſtruo: Adeoque omnino aſſevero, quod, non obſtantibus his exceptionibus, Anima *ſit in Corpore*. Ubi hoc ſeorſim exigetur, probabo.)

Negatur itaque etiam ab hac ratione, quod nulla ſit proportio inter corpus & animam: Cum *ſocietas* ſupponat *proportionem.*

B. 1) Prima eſſentialis *operatio* Animæ eſt, *Rationem habere , & exercere.*

2) Secunda eſſentialis operatio Animæ eſt, *velle*, ſecundum *rationem.*

3) Tertia eſſentialis operatio Animæ eſt, *perſequi* & omni conatu *exequi* voluntatem, & *finem* petitum *impetrare.*

Negatur ſecundum has quoque rationes, quod nulla ſit proportio inter Animam & Corpus. Siquidem

Per *primam*, tanta eſt proportio Animæ ut ratiocinantis, ſeu in Actu ſuo rationali, (& intellectuali, vulgata imo qualibet acceptione,) cum Corpore, ut *rationis* nullum aliud *objectum* habeat, niſi corpori inhærentes, &, extra conceptum *corporis*, nusquam, ne mente quidem ponendas, nec in mente ponendas *affectiones* atque *conditiones*, nempe *fines*, tam *figurabiles*, quam *locabiles* & *numerabiles.*

Quorum omnium nihil eſt verum, nec exiſtit vere extra fictionem mentis, niſi *in corpore*, & ſecundum *reſpectum ad corporeitatem.*

Per *ſecundam* rationem, tanta eſt *proportio* Animæ rationalis cum Corpore, ut ſi hæc aliquid *velit* de corpore, a corpore, per corpus; *Irrationalis* ſit oportet, ſi quidquam velit aliud, quam a corporis *conſtitutione* expectari poſſit. Adeoque *Rationali voluntate* abſolute alligata ſit *proportioni* corporis, & neceſſario, hoc intuitu, habeat *proportiones* cum corpore communes.

Per *tertiam* rationem, niſi *irrationaliter* velit, non poteſt velle, quod nolit fieri, quod, inquam, non *velit vere fieri.*

Cum autem in rebus mediatis nullus ſit contactus *finis*, niſi per media; Recte hinc pro axiomate in Philoſophia (i.e. ſana ratione) valet: Qui *vult finem*, *vult media*, ad illum *finem* ducentia:

Ad *illum* finem, inquam; adeoque *proportionata.*

Neceſſario itaque *vult* Anima *proportiones*, & alligata eſt *proportionibus*, ad *finem* quemlibet, mediate ſeu *ut media*, ducentibus.

Adeoque habet *proportiones* ſibi præſcriptas, cum corpore *communes.* Q. E. D.

Per

Per ipſa dicta vero tollitur & obliteratur ipſum aſſertum: *Nullam rationem inveniri poſſe, cur poteſtas Animæ intra determinatas vires coërceretur.*

Cum rationes ſint in propatulo:

1] quia Anima eſt *ens finitum*, non ſolum abſolute,

2] ſed plane determinative, in τῷ finitivo.

Finiti vero, etiam *energiæ* ſunt *finitæ*.

3] Quia occupatur [& *de Corpore*, *ratione*; & *in Corpus*, *voluntate* rationali: & *Motu*, voluntatis *adimpletivo*,] in Ente determinato, unde nec *debuit* habere vires *indeterminatas*, nec *poſſet* illas in hoc ſubjectum exercere], cum Agens agat ſ. r. p.

Quod vero etiam ante monui, id ipſum quoque paucis adhuc confirmare licet. Nempe nulla probabiliore ratione dici, quod

ſi anima ſaltum corpori induceret, poſſet hoc impellere ad quantamlibet altitudinem.

Miror. Itane Anima habet *ullam*, nedum *indeterminatam* poteſtatem, etiam *in Corpora alia*; imo non ſolum [Corporum aliorum] immenſam *molem*, ſed & immenſam *contentionem* & vim ſociam, quæ per illam molem perpetuo fluxu procedit?

Tantum abeſt, ut hoc in rerum Natura vere ita exiſtat, ut potius hæc ipſa Corporea moles, quæ temerario tali ſaltu *ad quamlibet altitudinem penetranda* veniret, ſit magnum illud *oportet*, quod *elaſtica* ſua inceſſabili *actione*, & corpori multas leges imponat, & revera ipſi *animæ*, quatenus in *ſocietate* cum corpore habitat, *in hoc*, & *per hoc* agit, tanquam reali verbo dicat: *Anima, mane domi!*

Unde quidem & hæc omnia, & quæ, aliis ſolum verbis ſubſequentibus, idem ipſum tamen repetunt:

„Neque ullum obſtaculum Animæ a Corpore fieri poſſet
„-- neque (paulo ante) ulla ratio eſſet, cur aliquid non poſſet.
„[ſaltando]

Omnia hæc & ſingula, inquam, nullo modo, neque intelligo, neque volo, ſed

Contrarium intelligo per *rationes* maniſeſtiſſimas.

 Et

Et illud ſolum hic loci Volo, ut rationes illæ expendantur.

Neque vero ullum propemodum comma hic invenio, (& merito quidem, quomodo omnia ſibi invicem ſuperſtruuntur,) quod conſenſu vero amplecti valeam.

"Eſſet ita Natura, ait, (id eſt Anima, meo ſenſu,) efficaciſ-"ſima (& cui nullum obſtaculum obſiſtere poſſet) malorum "omnium medicatrix, nec ſcopo ſuo unquam excideret.

Ego vero hoc non ſolum, per jam dicta, negare neceſſe habeo; ſed ſubeſt adhuc ratio, prægnans *a priori*, & communiſſima, *a poſteriori*. Nempe:

A priori, Animæ humanæ notoria *impotentia & inconſtantia*, circa ordinatum, plene informatum & adornatum, & æquali conſtantia ad plenum finem perducendum, *Uſum*, tam *rationis*, quam *voluntatis*, & maxime omnium *accommodationis ad neceſſaria media*, *Motum*, *Tempus*, *modum*, *locum*, & *organa*; impedit certe hæc, a priori, imo evertit, conſequentiam allegata propoſitione aſſertam.

A poſteriori vero confirmat hoc quotidianus innumerus eventus, his fundamentis evidenter inſiſtens; nempe tam *externi* ortus, *Animi pathematibus*; quam circa ipſa illa interne tunc fientia, *anxietatibus*, (rationali conſiderationi contrariis, cum non ſolum nihil juvent, ſed turbent) *metu* mali eventus, inde *horrore* mortis, aut inter quomodocunque adhuc ſecuriores conceptus, *impatientia* ſenſus, imo ſolum *moræ*: aut *inconſiderata ſecuritate*: imo varia *contumacia*, & inde pullulante *iracundia*, vere illud efficiens, quod ſupra de re ſimpliciore dicebatur, nempe: *multiplicem implicationem cauſarum, & confuſionem, tam intentionum, quam inventionum*. Conf. Diſſ. de Frequentia morborum.

His ita ſemotis, aggredior rem ipſam, nempe veſtigare, quamobrem efficta eſſe videatur tota hæc ita intricata difficultas, de *Motu Corporeæ Machinæ*, quatenus non ſolum *Machina*, ſed plane quatenus *Corpus* eſt, *per ſe, primo, directe*, inſito atque indito; Cujus ſolius vi & energia omnes illi effectus *ſponte*

pro-

propria Corporis peragantur, ſolum in gratiam animæ, & neſcio an non fallendæ animæ cauſa, quo illa ipſa hæc efficere, & ſibi, & aliis, videatur.

Cum omnis noſter Intellectus unice formari debeat a rebus vere *exiſtentibus*; Neceſſe eſt, illas eidem offerri, vel immediate *a priori*, vel mediate, *a poſteriori*.

Illa *a priori*, rerum ipſarum *immediate*, perceptio directa & quaſi nuda confert intellectui Veritates indubias atque ſimplices, ad minimum nullis *ratiocinalibus*, ſeu *figurativis*, potentiis perplexas. Cujusmodi ſunt v. g. in omnibus *ſenſibus*, quatenus *ſinguli* ſunt: & cum *ratiocinales* non ſint, propterea brutis quoque vulgo dictis cum homine non ſolum communes ſunt, ſed etiam, niſi malæ aſſuetudines interponantur, hinc inde his exquiſitiores.

A poſteriori vero quæ *menti* offertur *perceptio*, e variis *reciprocis, mutuis, affinibus reſpectibus*, iterum *duplicis* eſt generis, vel enim legendo ſolum quaſi *veſtigia* plurium realium, & ſimplicius ſenſualium ſucceſſuum, ducit ita bona fide ad rem ipſam ultimam:

Vel variis, ipſis quoque denuo multos reſpectus proprios involventibus *phænomenis* magis, quam nudis & ſinceris *exemplis*, diſtrahit, aut certe minus & exercitatam, & attentam minus mentem minime ſatis *dirigit*, aut ſimpliciore ſucceſſu quaſi ducit, ad ultimam illam collectionem, & apicem quaſi, quo collineent omnes tales, puriores, & e propriis ſuis reſpectibus eminentes, plures reſpectivæ res.

Ex utrisque his percipiendi modis naſcitur 1) deductio & Concluſio *affirmativa, poſitiva, directa.*

2) Deductio *negativa, privativa, oppoſitiva.* Quando vel a *diverſo* vel a vero *contrario*, fit collectio.

Illa, quæ *directe, poſitive, affirmative*, poteſt formari a ſimplici, *immediata perceptione*, ſine dubio ſola eſt vere, & in ſolidum, *vera* atque *firma*.

Quæ, vere & indubie, ab *oppoſito* formatur deductio, eſt quidem in illo tramite, haud minus certa:

Cum

Cum vero veræ *oppoſitiones* in rebus Naturalibus ſint quam rariſſimæ, ſed ſolum ibi *diverſitates* atque *diſparitates* longe plurimum vigeant atque valeant; fit inde, ut vehementer lubrica atque *fallax* ſit illa talis deductio conſequentiarum, & ſumma indigeat circumſpectione.

Sicut enim vel in Scholis adoleſcentes diſcimus animadvertere, quod inter *negationem*, & directam *oppoſitionem* rerum ipſarum, ingens intercedat differentia: Ita valet hæc res exquiſite in rebus *Phyſicis*: v. g. certum eſt, *diem non eſſe noctem*; Interim noctem eſſe Phyſice & Metaphyſice plenum *oppoſitum* diei, tam parum verum eſt, quam quod nubila meridie non ſit dies.

Quæ res, licet primo aſpectu nulla conſideratione dignæ videantur, certum tamen eſt, peperiſſe tales nobis immanes *confuſiones*, & introduxiſſe falſas *concluſiones*, imprimis in exemplo Naturæ atque *Nexus* rerum *incorporearum*, *cum Corporeis*: & ipſo exemplo *Agentis & Patientis*: quæ cum *oppoſita* certo reſpectu ſint, *inſeparabilia* tamen ſunt ipſa ſui *formali ratione*, dum *agens* non poteſt eſſe quod eſt, niſi *dum agit* in patiens; & *patiens* non poteſt eſſe tale, niſi *dum recipit* actionem: &c.

In noſtro negotio, nempe aſſertione, quod omnia Corpora habeant *motus*, quos de illis perſentiſcimus, *inſitos* & *proprios*, neque paucos quidem, ſed vel innumeros; non potuit profecto aliquid colligi, e vera, directa, immediata *efficacia* Corporum.

Dum nusquam ſincera & ſimplicia illa reperire conceſſum eſt, ſed ſemper, non ſolum in *aggregationibus*, verum etiam in *confuſionibus*, cum *heterogeneis*, ita demum deprehendimus.

Et hoc poſtremum quidem (nempe in concurſu cum *heterogeneis*,) abſolutisſime, quotiescunque de aliquo illorum *Actu* ſeu *Motu* eſt ſermo.

In qua re admirationi propemodum eſt recentior phantaſia, in definiendis conſtitutionibus corporum *ſimplicium*; Nempe ne quidem per ſomnium recordans, *Concurſuum*, *Motuum* non ſolum, ſed *Moventium* (inſtrumentalium, Corporeorum,

rum, concurrentium, mediatorum) ut *talis Motus* corporibus illis inducatur, quorum, ut *proprii* Motus hujus, illa deinde rationes effingere nititur.)

Nimio vero, imo immenſum, minus potuit aliquid usquam colligi e vera, directa, immediata, efficacia *Corporum vere & abſolute Organicorum*, Animalium; miris modis & ſitibus *aggregatorum, coagmentatorum, co- & ſubordinatorum:* Nullo uno intuitu, ſive *per ſe* ipſa exiſtentium, vel *propter* ſe, aut aliud quidquam directe *Corporeum*, *eſſentium:* id eſt *talem* illam, quam habeat, peculiarem rationem, (ut *finaliter*, & quidem in ordine *ad Motum ſui*,) habentium.

Nihil, inquam, potuit ex his colligi, quod habeant *proprium, inſitum* ipſis, ut machinæ Corporeæ, ſive *neceſſario datum*, ſive ullo reſpectu, (niſi ad veros *finales* uſus Animæ) *dandum*, MOTUM.

Vulgata eſt hodie inter eos, qui de his rebus multa verba faciunt, ſed parum rerum producunt, ſimilitudo illa, quam machinis *naturalibus* corporeis, cum fabrilibus *artificialibus*, affingunt, & nusquam magis, quam circa illud tertium deficere putant, quod ArchitectusNaturalium Machinarum, pro infinita ſua potentia pariter atque Sapientia, Machinas tales effingere & conſtituere POTUERIT, nimio artificioſiores, & πολυτελεςάτυς, quam humanum ingenium intelligere ſatis, nedum imitando propius aſſequi, valeat.

Ego vero quamobrem huic opinioni aurem præbere minime poſſim, habeo rationes ſequentes.

I. Licet OmnipotentiæDivinæ veritatem agnoſcam atque venerer abſolutiſſimam; Allegationem tamen ejus temere fieri non debere, habeo Auctorem hiſtoriam Jobi, ubi *Deum falſis hypotheſibus defendere improbatur*, & illud potius inculcatur, quod hic quoque abſolute neceſſarium eſt, nempe: *Voluntatem Dei, (intentionem, finem) caute penſitare.*

Unde quam inverecundam merito notamus diſputationem otioſorum Scholaſticæ Theologiæ gerronum, quando ventilant: *Quid Deus non poſſit?* Tum otioſam habendam puto illam ſuppoſitionem,

Quid, & quantum, Deus potuerit?
niſi ſimul probatum detur:
Quod idem etiam, eodem tempore, Voluerit.

II. Hoc ad intempeſtivam, &, uti puto, inanem exactionem devoti ſilentii, ubi nullus illi ſit uſus, inter Chriſtianos.

At inter mortales Atheos quam vana hæc ſit argumentatio, non opus fuerit notare. Illud vero omnino uſus fuerit monere, quod hac ratione propemodum ſubtrahatur uſus *Theologico-Naturalis*, in puncto *dependentiæ Animæ a Deo*, ratione *datarum* ipſi, *impreſſarum*, *commiſſarum*, *poteſtatum*, ex Archetypo Sapientiæ divinæ, circa *agendas & adminiſtrandas res Corporeas:* adeoque debitam erga Archetypicum illud ſupremum Agens reverentiam, atque *dependentiæ* ſui agnitionem atque recordationem, poſtulantis.

III. Tolli hac opinione ſentio omnes Corporum Organicorum Animatorum *Fines:* Cum ſoli homini *Anima* hac opinione concedatur; cujus uſibus Machinæ Corporeæ *humanæ* effectus, *ſenſationes*, & *Motualia obſequia*, (les complaiſances pour les intentions, & ſouhaits, de l'Ame) ſi non unice, tamen præcipue, deſtinatæ ſint.

Quamvis enim facile agnoſcam, haud multo plus de *finibus Animalium brutorum* concipi poſſe, ſi vel maxime Anima ipſis concedatur: Tamen hoc ipſo ſatis ſcio vulgo præparari aditum ad illam iterum, ut ego quidem arbitror, intempeſtivam ſuppoſitionem, *quod omnia hominis cauſa directe* facta ſint.

Quod enim verum neceſſarium, imo ſolum vere commodum, & ſine ambiguitate morali, jucundum *uſum phyſicum* attinet, non poteſt ignotum eſſe, quod hic oppido parvus exiſtat, & pauciſſimis certe contentus eſſe potuiſſet:

Quod vero de illo uſu *morali* dici ſolet, facta hæc eſſe tanto ſpecierum ipſarum numero, ut homo inde *Sapientiam* Autoris agnoſcere deberet: Ibi minime nego aliquem hunc eſſe, ſive directum (quod reſpectu hominis lubentiſſime concedo)

ſive

ſive indirectum, (quod ratione ipſorum talium in ſe, intelligo:) Quod autem TOT talia ſolum hunc finem & ſcopum habere *Voluerit* DEUS, propterea dubium mihi ſit, quia non ſolum pauca, ſed propemodum etiam illa, quæ vulgo abjecta reputamus, tantundem, niſi quidem amplius, huic ſcopo ſatisfacere poſſent, ſi debite conſiderentur. Ubi certe v.g. aranea, apis, papilio, nihilo minus admirationis meretur, quam Elephas, Leo, pavo, &c.

IV. Evertit, mea quidem ſententia, omnem hujus ſuppoſitionis veriſimilitudinem, quod non ſolum nunquam ullum detur Corpus *Animale*, imprimis autem *humanum*, quod *Mechaniſmum* ſuum vere *Organicis* actionibus exhibeat, *anima vere & perfecte caſſum*: Sed etiam *anima ipſa humana, demonſtrativa* certitudine (non enim jam de rebus *fidei* eſt ſermo, & inſuper notum, quid etiam hic diſſentiant Theologi circa ſtatum animæ ſeparatæ,) non poſſit probari, usquam edere poſſe ullos actus, quoscunque ipſi *proprios* eſſe vere comprehendimus, niſi *in corpore, per Corpus*, & *de affectionibus* quam maxime *Corporalibus*, Adeoque *Corpus* humanum abſoluta neceſſitate, & perpetua veritate, ſit *propter Animam*, & *nullam aliam rem* ſub ſole: *Propter illam*, inquam, *abſoluta neceſſitate*: propter ullam *aliam* rem, ne quidem ulla ſuſpicabili *probabilitate*.

Ubi, paucis, ad illam exceptionem, de *Motu abſciſſarum*, adhuc ſeſe quaſi legitime moventium partium, imprimis in *aquatilibus* & *amphibiis*, facilis eſt reſponſio; quod animæ illæ, Corporeitati in eo propinquiores, quod iterum diſſolvi credibile ſit, (cum contrarium e fide non aſſeratur) etiam *diviſibiles* eſſe poſſint.

V. Quod autem ſimpliciter *quaslibet* animas *incorporeas* eſſe, neceſſe ſit, ex eo, quod aliquem *rationabilis directionis* uſum habeant, Bruta: Nego ex eo, 1) quod ipſa *ratio*, proprie dicta, nullum aliud objectum habeat, niſi *Craſſiores affectiones* Corporum: 2) In æternum probari non poſſit, quod Deus ſemel datum uſum & actum *rationis neceſſario* dederit in æternum, niſi ſola PECULIARI GRATIOSA VOLUNTATE, homini. Cum 3) nihil, omni etiam intellectui exquiſito, certius eſſe,

debeat magis, quam poſſit, quam *quicquid cœpit, poſſe ceſſare:* ſeu quod *finitum eſt* a parte ante, initium habet in tempore, idem debeat, certe *poſſit*, finitum eſſe, finem habere, deſinere, in tempore. 4) Ne ullo modo magis difficile ſit concipere, quomodo illud, quod (per omnia argumenta, quibus tale ſtatuitur,) *mortale* ſit, id eſt, *poſſit ceſſare:* quod, inquam, hoc idem etiam *potuerit initium habere.* Eadem vero ratione, qua potuit *initium* habere, poſſet etiam *finem* habere: *Niſi DEUS aliter voluiſſet,* quod e *diſerta ejus revelatione*, quotquot huic credimus, docemur. Quo certe argumento omnes illas diſputationes, quæ vulgo tanquam graves & valde ſeriæ, de *immortalitate animæ rationalis*, (extra unum *dictamen fidei*) afferri ſolent, pro *frivolis & inanibus* habendas eſſe, confidenter aſſevero, cum omnes in hoc impingant, ut illis *finitas incipiendi* omnem nervum *infinitatis deſinendi* detrahant.

VI. Adjicio merito, quod plerique illorum *uſuum*, ſeu *aptitudinum* mechanicarum, quibus, aut maximo illorum numero, machinæ illæ organicæ *corporum*, ipſius quoque *Humani*, ita *admirabiles* reputantur, ut Deum ipſum *immediatum Autorem* habere debeant, minime ad *proprium* & ſtrictum *finem*, actionum regularium præſtationem, neceſſarii ſint; ſed magis e *proterva* & *ſupervacua*, imo ſæpius *mala intentione*, & quidem propemodum *ſola tali*, fluant.

VII. Imprimis, cum etiam ſpeculationes illæ, de *nudo mechanico effectu*, omnium *ſecretionum*, per exactiſſimorum poros colatoriorum, & *nutritionis*, per nudum *allapſum & adhæſionem* corpuſculorum, in ipſa circumſtantiarum verarum vera *hiſtoria*, nullum plane fundamentum habeant: quorum prius demonſtravi in Programmate de *Paralogiſmo pororum ſecretoriorum exquiſitæ figuræ adhærente.* Sed immenſum quantum debeant *tonicæ* directioni, *relaxanti*, *ſtringenti*, *appellenti*, *reprimenti*, *dirigenti* ſpecialiſſimæ: ſive *tranquille & ordinate*; ſive *per frivolas* quoque *cauſas*, inordinate & *perverſe*.

E quibus itaque documentis univerſis cum ſatis diluceſcat, quod

nec *a priori*,

nec

nec *a poſteriori*,
nec *a ſimilitudine*, naturalium ad artificioſa:
nec *ab inductione Brutorum*,
nec *ab animæ rationalis habitu* &c.

Motus *Corporeæ Machinæ, per & in ſe, proprius, inſitus, immanens, conſentiens* ſolum, non abſolute *dependens*, intuitu animæ, *adſtrui atque vindicari* poſſit.

Supereſt, ut *alterum* fundamentum eruamus, e quo aſſurgit hæc ſuppoſitio, eique neceſſario ſuperſtruenda putatur.

Repeto diſerte: Ficulnea, deſultoria, levis armaturæ, & Parthorum more fugiendo pugnantia ſunt omnia ea argumenta, quæcunque *poſitive* & *directe Mechanico-Organicæ diſpoſitioni Corporum* animalium *inſitum* & *inditum* proprium Motum, *Organizantem* ſeu *Organice actuantem*, organicos actus, *nutui animæ, appetitui ſoli*, animæ, paratiſſime *offerentem*, adſtruere, nedum evincere, ſatagunt.

Maxime vero *ſerium*, & ultimi ſubſidii, imo *invictum* Argumentum eſt *Privativum*; Quod nempe ab impoſſibili alia via aut potentia neceſſariam Veritatem illam inferat atque ſtabilem conſtituat:

Quia *Anima ipſa, rationalis* imprimis, *tali actui* præſtando abſolute ſit *impar*, imo nihil ejus *posſit* aut *valeat*.

Sæpe profecto ſubiit, ab adoleſcentia ipſa mea, mirari, quamobrem vel tam confuſe hæ res tractentur atque deducantur, vel, data quaſi opera, fugitiva quadam occultatione, aut poſt-principia collocatione, argumentum hoc, pro Pancratico tamen habitum, non plene atque funditus elucidatum, & ab omni valido inſultu ſecurnm, conſtituatur.

Ne tamen prolixitati locum præbeam, inſpiciam ſolum hujus propoſitionis ſubſidiaria argumenta.

Anima non poteſt movere corpus.
Cur? Quia eſt *immaterialis*.
Cur? *Materialis vero & immaterialis nullus eſt contactus, & reciprocus actus.*
Cur? Quia *oppoſitorum* non communes, *ſed oppoſitæ*, ſunt rationes.

Eſt vero *immaterialis:*
Cur? Quia *immortalis:*
&; Quia *actus* ejus ſunt *immateriales:*
Objecta ejus *immaterialia:*
Extenſio ejus (*intentionalis*) *immenſa*, nullis terminis incluſa.
Non poteſt autem *Corpus* MOVERE.
Cur? Quia *Motus* eſt affectio *Corporis.*
Hæc a priori.
A poſteriori,
Anima non movet Corpus.
Probatur: 1) Quia nihil ejus *conſcia* ſibi, ſeu memor *ejus actus* eſt.
2) Quia ſi Anima humana (regeret) *moveret* Corpus, nihil in hoc deberet fieri, niſi *ſumma & abſoluta ratione:* nempe ab anima *rationali.*
3) Imo poſſet anima, quicquid *liberet*, in corpus & in corpore perficere, quia Animæ *vires* ſunt plane liberæ (in *cogitando*, & *volendo.*)

Hæ ſunt *Poſitiones* illæ, & *illationes*, per trivia Peripatetica notæ; Quas, puto, melius informare, ſeu potius reformare, dignior fuiſſet occupatio Recentiorum, quam aſſumtis his, tanquam in ſolidum, ſaniora ſperare alia Dogmata, quæ ſub tali complexu, fieri non poteſt, ut ſanentur.

Ego quid de ſingulis Propoſitionibus, æque atque illarum rationibus, ſentiam, libere ediſſeram.

Primam propoſitionem, quæ eſt: Anima non poteſt movere corpus; *Nego*; Quia Ratio ejus, quæ affertur: Quia Anima eſt *immaterialis*: ut ratio, ita *falſa* mihi comparet, ut potius *contrarium* probare *posſit*, imo *debeat.*

Hujus aſſertionis meæ, directe contrariæ, rationem oppono ſimul Propoſitioni *Secundæ*, quæ eſt: Anima non poteſt *Movere*: ejusque rationi, quæ eſt: Quia *Motus* eſt affectio *Corporis.*

Hic quæro: An *affectio Corporis*, & *Corpus*, ſint res *una* eademque? i. e. An *Corpus* ſit *Motus:* & *Motus* ſit *Corpus?* Pruden-

dentiores, nempe realium conceptuum compotes, ſtatim *negant*, & agnoſcunt: Diſtincta eſſe, eſſe *una*, & eſſe *unum*: Eſſe *ſimul*, & eſſe *idem*. Iidem facile intellectu comprehendunt, quod minime *Metaphyſicum* (odioſo ſenſu) ſed revera *Phyſicum* ſit: Quod, quæcunque *affectiones mente vere dignoſci posſint a Corpore*, illæ, licet non tam ſenſibus, quam ſola mente, *ſeparari* poſſint a Corpore, tamen dum etiam ſunt *in Corpore*, & *cum Corpore*, habeant veram diſcretam & *propriam exiſtentiam*, ita ut non ſint *ipſum Corpus*; neque *Corpus ipſum ſit hæ affectiones*.

Tanto magis autem eluceſcere hoc debet ex indole affectionum, a Corpore revera *ſeparabilium*; nempe quæ adeſſe vel abeſſe poſſunt corpori, ſine ullo *conceptus* Corporalis imminutione: Qualium an vere plures dentur, & non ad, ſtatim dicendum, *Unum* potius recidant, jam quidem non prolixe tempus fert diſquirere: Illud ſatis certum eſt, quod

Motus ſit talis affectio, quæ cum *internis* conceptibus Corporearum affectionum, (*eſſentiæ & exiſtentiæ* Corporis, *qua corpus eſt*,) nequaquam ulla ratione, nedum *necesſitate* cohæreat.

Siquidem facile in *conceptum* venire poteſt Corpus, id eſt, res non ſolum in genere *finibus* circumſcripta, ſed etiam *certis*, id eſt, magnitudine & figura prædita. Sed adeo proclive, & rei hujus tali conſtitutioni conſentaneum eſt, concipere, quod talis res *quieſcat*; ut potius recordatio, ſive *internæ* alicujus potentiæ *motoriæ*, ſive *acceſſoriæ pulſionis*, videatur metum inferre, ne talis res *finibus mutetur*, tam generalioribus, magnitudine, quam ſpecialiſſimis, figura: Adeoque ſi maxime non plane deſinat *corpus* eſſe, tamen mutari contingat, ut non ſit *tale* corpus, *quantum & quale* nunc eſt. Ut adeo revera conceptus MOTUS, *in Corpore*, aut *in Corpus*, ſtabilem conceptum de corporis propria & *vere interna* conſtitutione certiſſime *turbet*, &, dum loci atque ſitus mutationem neceſſario infert, magnitudinis etiam atque figuræ *mutabilitatem* probabilem reddat.

Quidquid autem denique fiat de eo, quod Comprehenſio Motus ſub *conceptu* Corporis non tollat conceptum affectionum Corporearum *genericum*, ſed ſolum turbet conceptum

talis

talis conſtitutionis illarum affectionum, qualis in unoquolibet corpore uno aliquo tempore eſt: Manet tamen omnino firmum, imo manifeſtum:

1) Quod ſimpliciſſimus Conceptus affectionum Corporearum *minime una involvat Motum.*

2) Et, cum reliquæ affectiones a conceptu Corporis *non poſſint ſeponi; Motus* non ſolum *poſſit*, ſed modo non *debeat* ſejungi.

3) Quomodocunque autem ita cum Corpore jungatur ipſo *conceptu*, intelligatur certe res eſſe ad *exiſtentiam* Corporis, & omnium ejus *affectionum*, minime interne neceſſaria:

4) Sed quæ *abeſſe* æque ac *adeſſe* poſſit, ſecus quam ut quidquam Corpori ita decedat, in eo, *qua Corpus* eſt.

Imo, licet etiam agnoſceretur motus *continentiæ*, aut motus *finitivus*, (quorum tamen neutrum multis placet) tamen Motus *Localis*, ut ipſi Corpori concedendus,

1) Nulla ratione ad *exiſtentiam* aut *eſſentiam*, ſed ad rem novam, *efficientiam* ſeu *activitatem*, demum referri deberet:

2) Eoque ipſo eſſet, tanto evidentius, omni modo & intuitu, res a Corporis *eſſentia*, & veris atque *propriis affectionibus* Corporalibus, diverſiſſima:

3) Adeoque manifeſto aliquid vere *incorporeum.* Utpote quod *abeſſe* poſſit a Corpore: & tamen non eo ipſo *nihil* eſſe. Cum alias ſequeretur illud abſurdum, quod talis res, quæ omnem efficaciam Corpori quaſi imprimit, quando cum Corpore jungitur, *in ſe nihil ſit;* & toties quoties, *e nihilo* demum, non ſolum *aliquid* fiat, ſed tam *potens* quiddam fiat, & ſit, &c.

E quibus omnibus conſiderationibus conficio, quod

1) *Motus* (activus) *omnino ſit aliquid, etiam per ſe exiſtens,* licet in aliquo, hoc, illo, *Corpore*, non inſit.

2) Quod Motus, ſive ſine Corpore, ſive cum Corpore conſideratus, revera ſit aliquid *incorporeum*, ſub nullum conceptum *dimenſionis, magnitudinis extenſivæ*, aut *figuræ* cadens:

3] Et cum etiam *abeſſe* poſſit a Corpore, citra ullam imminutionem *eſſentiæ*, ſeu intrinſecarum affectionum, Corporis:

poris: eo ipſo poſſit, imo debeat, habere veram *exiſtentiam ſeparatam*, qua *ſeparabilem.*

4) Et ſub illa ſua *propria exiſtentia*, æque atque cum & *in ipſo Corpore* eſt, ſit aliquid INCORPOREUM, & ab omnibus *propriis* affectionibus Corporeis vere *alienum*, imprimis in eo, quod *abeſſe* quoque poſſit a Corpore, & nullum neceſſarium conceptum *coëxiſtentiæ* cum Corpore inferat: Imo ſi etiam cum Corpore præſto ſit, tamen, ulla neceſſitate, nullam unam mutationem *internam*, verarum propriarum affectionum Corporis, introducat.

Ex omnib9, inquam, hisce conſiderationibus eluceſcit, quod *Motus ſit aliquid incorporeum*, & a Corporis affectionibus *internis* plane diverſum. Utpote ſine quo corpus tamen poſſit ſubſiſtere, & conſequenter, Motus etiam ſine corpore exiſtere.

Jam vero SECUNDO LOCO, ſi motum conſideramus, vere *in ſe*, & ſecundum *ſuas* vere *proprias* affectiones, ipſas quoque ab *interno* influxu ſeu concurſu ad *Corpus* alienas, invenimus ibi:

1) Quod Motus in ordine ad Corpus, ſemper & abſolute, ſeſe habeat ut *Actus* ſeu *actio*: Corpus ex adverſo ad Motum ſeſe gerat ut *Patiens.*

(Nam *reactio* corporis eſt res *imaginaria*; utpote unice conſiſtens in occurſu *Motuum*, in *diverſa corpora*, uno eodemque *tempore*, & contiguo *loco*, agentium.)

2) Quod *eſſentiales* & *internæ* ſeu *inſeparabiles* conditiones ſeu *affectiones Motus*, ſint:

α) *Gradus*; qui cum *magnitudine* proprie dicta nihil habet commune, ſed vix longinquum analogismum: Ille verſatur in *activa vi* & vigore: Hæc in paſſiva *terminatione*, & limitibus præſciſſis.

β) *Tempus*; ita, ut etiam motus ipſe potius *formet* tempus, quam ullo modo tempus formet, producat, conſtituat, &c. *Motum.*

γ) *Ordo*; tam ratione *gradus*, quam etiam ratione *temporis*, variabilis.

N δ) Re-

δ) Reſpectu objectorum & ſubjectorum, *Proportio*:

ε) *Finis*, ad quem & in genere tendit, & cujus quoque intuitu *proportionem* ſequi debet.

ζ) *Tranſitus*, ſeu perpetuus *progreſſus*. Dum vere nullus motus eſt *ſtabilis*, ſed in perpetuo *tranſitu* ſeu progreſſu verſatur; Ubi utique nulla, in mundo ſemel conſtituto, eſt univerſalis Idea ſeu Conceptus *Motus abſtracti*; cum ille non poſſit niſi per concretam rationem procedere: *Tranſitive*, tamen, ut in nullo concreto, eodem *gradu*, perpetuo *tempore*, nihil (abſolute) variante *ordine*, & ſemper (*numero*) una & eadem *proportione*, usquam in hoc univerſo fiat, vigeat, nedum maneat.

(Cum, ex adverſo, corpora *poſſent* eſſe, imo certiſſime *eſſent*, æternæ quoque ſtabilitati apta, ſi a *Motus activitate*, perpetuoque tranſcurſu, eſſent immunia. Quod ad mentem omnium a me hic dici, certus ſum; quamvis ego etiam ad exiſtentiam Corporum, qua talium, motum ita abſolute neceſſarium agnoſcam, ut, quo momento omnis Motus abſolute ceſſaret, eodem momento omnia corpora quoque deficerent.)

TERTIO. Interim Motus, ita (quaſi *materialiter* conſiderando) *Incorporeum* Ens, & (tanquam *formaliter*) perpetuo *Tranſitu* agens, habet utique *exquiſitiſſimam poteſtatem* in Corporeas res.

Habet, inquam, *activitatem* in Corpora, ut *patientia*: Ipſe, ut res *incorporea*, imo *immaterialis*: ſiquidem tam a Corporis *materiati*, quam ipſius *materiæ*, affectionibus *intrinſecis ſeu eſſentialibus*, in ſolidum diſtat atque differt.

QUARTO vero, non ea eſt indoles Motus, ut *abſolute alligatus* quaſi ſit *Corporibus*, ſenſibili veluti ſua præſentia ſeu exiſtentia;

Ut adeo Motus non poſſet a Corporibus, niſi ſola cogitatione, ſeparari, & nusquam alibi neque concipi, nec inveniri, niſi in Corporibus: Nequaquam.

Eſt enim Motus etiam in *incorporeis*, & omnium conſenſu *immaterialibus* rebus.

Imo eſt in illis, usque adeo, ut vere *eſſentialis* plane, & abſolute *inſeparabilis* ab illis, intelligi & agnoſci debeat.

Si

Si enim *ratiocinationem*, *cogitationem*, *contemplationem*, *intellectum*, *dijudicationem*, *collectionem*, *æſtimationem*, *electionem*, *amorem*, *odium*, *metum*, *deſiderium*, &c. &c. quocunque modo & intuitu perpendamus:

Quo alio *modo* & *medio* hæc peraguntur, imo in quonam proprie *conſiſtunt*, (*generaliter*,) niſi in *Motu?* Adeo, ut *Ariſtoteles*, hoc intuitu, non ita abſurde, licet ſolum analogice, dixerit: *Cogitationem eſſe animæ deambulationem:* Nempe conſiſtere in perpetuo *Motu* de re ad rem, & reciproca veluti converſione inter varias res, quoad *ſucceſſibus* plus minus *multis* & *longis* ſeu diuturnis, tandem ex *admotione* objectorum inter ſe mutua, (quæ eſt *collatio* ſeu *comparatio*) aſſequatur rationem convenientiæ aut differentiæ.

Adeo, ut omnis *actio*, tam moralis atque intentionalis, quam *Phyſica*, quatenus *actio* eſt, & ab uno *numero* ad alterum, ab uno *modo eſſendi* ad diverſum (ut objecta) procedit, certiſſime & veriſſime ſit (generice) *Motus*.

Quinimo Ariſtoteles nequaquam adverſa veritate pronunciaverit, imo deduxerit latius; Quod *omnis tranſitus potentiæ in actum ſit Motus*.

Eo ipſo vero, quod *Motus* abſolute eſt *actus*, & revera abſolute, reciproce, omnis *actus eſt Motus*, hoc ipſo, inquam,

QUINTO, merito venit in Quæſtionem, an *actus* vere ſeparari poſſit ab agente?

Scio affatim diſtinctionem uſitatam inter *τὸ immanens* & *emanans:* ſed & minime agnoſco *applicationem* ejus ad *Actum*, ſed ſolum ad *effectum*.

Emanatio enim *Actionis* in nulla re ſpecioſius ſupponitur, quam in Motibus *tranſitivis* ſeu communicatis. Cum autem ibi immanis ſit ambiguitas, (imo in multis etiam manifeſtior ratio negandi,) an *tranſitus* ille Motus ſit ita ſimplex, de *uno* corpore, in aliud itidem *unum*; Quin potius *Syſtema univerſalis* Motus per omnia hujus univerſi, quæ ad noſtram perceptionem perveniunt, indeſinente ſua *actione*, & veluti immenſa contentione, non ſolum potentiſſime *concurrat* ad *continuationes* Motuum tranſitivorum particularium, ſed plane etiam verum ortum il-

lis præbeat, ut nihil niſi *directiones* de corpore in corpus communiſſime ſuperſint, (quæ, dum *introducunt* tantum Motum, *producere* eundem nobis exiſtimantur.)

Fruſtra certe hinc *emanatio actionis* ab *agente*, (ita, ut *ceſſante Agente*, tamen *actio perennet*, & alicubi *per ſe ſubſiſtat*, imo *duret*, imo *diutiſſime pergat*,) tali exemplo ſeu ſpecie externa demonſtrari tentatur.

Sicut autem præſentis utique loci, & temporis præcipue, non eſt, de *Motu Syſtematico*, ejusque ſpeciminibus *univerſalibus*, *indeſinentibus*, ut omnium particularium vero fonte, (ſeu potius Mari, e quo omnes fontes & fluvii, & in quod perpetua circulatione recurſant,) prolixius dicendi:

Ita ſufficere tamen poteſt, de *Anima*, tam in genere, quam *Humana* in ſpecie, hoc adſeverare:

I. Quod *Animæ* ſint tale *Agens*, *immanens* corpori Organico, & *Actum* talem, *immanenter*, exercens, qui eſt Corporeorum Organorum, a minimis ad maxima, *Motus* ſeu Motio.

II. Quod *Animæ*, maxime omnium autem (ex hypotheſi) *Humana*, ſint tale Ens *activum*, quod ut alias actiones, ita actionem quoque *Motoriam* exercere poſſint: Quia Motus, ut res *incorporea*, præſupponit cauſam quoque *incorpoream*.

III. Ut enim omnes circumſpectiores, non abſolute Motum, ut actum *abſtractum*, ſed *Movens* aliquod (in illis rebus, quæ vere *immanens* habent *exercitium Motus*) ſupponunt: unde *Vis* illa Illuſtri Autori, aliis *Natura*, aliis *Spiritus*, certiſſime *Anima*, laudantur: Excepto ſolum eo, quod pæne omnes nimis late extendunt illam Energiam *immanentem*, quæ non competit, niſi ſolis, *antiquo vocis uſu*, *Animatis*, quæ vere *in ſe* habent, *per ſe*, & *non per accidens*, *Motus* varii *Energiam*:

IV. Ita æternæ veritatis eſt & manebit illud, quod, uti *Motus* differt a *Materia*, & *vis* talis *actrix* & author Motus ut actus, differt a *Materia*: Ita *in eo*, quo differt a conceptu de materia, ſeu phyſice materiali, certiſſime conveniat cum *Anima*, quomodocunque (quatenus τῷ *Formali* contradiſtinguitur) *materialiter* concepta.

V. Id

V. Id eſt, Motus aut *Movens* ſit *Non-Materia:* & *Anima* ſit *Non-Materia:* Motus aut *Movens*, ſit *Energia*, *Activitas*, ens *verum Activum;* & *Anima ſit Ens Energeticon ſeu activum.* Motus aut *Movens*, ſit in ratione *Agentis*, *Materia* in ratione *Patientis*: *Anima* ſit in ratione *Agentis*, Corpus in ratione *Patientis*, (ſeu habeant, illa rationem Agentis, hæc rationem Patientis:)

VI. Et tam nulla ſit *oppoſitio* inter Motum aut Movens, & Materiam: Et animam atque corpus, reſpectu perpetrandi & recipiendi Motus: Quam nulla eſt oppoſitio abſoluta inter *Agens & Patiens.*

Hæc cum ita ſe habeant, uti vere & contra omnem, bene conſideratam, dubitationem, firmiſſimo ſtent talo; ſupervacuum certe fuerit, non modo aliud aliquod *Agens Motorium* Corpori præficere, ſed & eo ipſo eaſdem difficultates, quas *Animæ* obſtare fingunt, cum illis aliis *agentibus* neceſſario adire & incurrere.

Dico, cum *aliis agentibus;* propterea, quia, ut fere ſemper, ita hic quoque, fœcundus admodum eſt Error, & non in uno quieſcere poteſt, ſed neceſſe habet ad multa evagari.

Cujus rei pauca ſpecimina, & brevibus, deſignare licuerit; nam ex profeſſo Antitheſin omnem enucleare, ut ſterilis, & tamen prolixus, eſt labor, ita etiam non placet, neque vacat.

Ante omnia conſentiunt circumſpectiores diſſentientes,

α) quod *Motus* non ſit *ipſa Materia*,

β) ſed ſit aliquid a Materia *diſtinctum:*

γ) Etiam eo ipſo tempore, quo in Materiam *agit*, aut agitur.

δ) Unde etiam a Materia, tam *conceptu*, quam *ſenſu*, *abeſſe* poſſit.

ε) Agnoſcunt porro, quod Motus non ſit nudus *actus, ſine agente*, [ſeu ut in ſcholis loquuntur, *accidens* nudum, nulla ſubſtantia,] ſed ſit aliquid *reale*, *concretivum;* Imo potius aliquid *Movens.*

ϛ) Quamvis autem hic vulgo hæſitent, & tergiverſentur dicere, quod ita Motus ſit aliquid *Immateriale;* nihil tamen

ita lucrantur, cum jam diſerte dixerint, quod ſit aliquid *a Materia diſtinctum*: i.e. non ſit *materia*.

ζ) Unde fruſtra dilabi hinc volunt a Quæſtione: *Quid ſit?* ad aſſertionem, *unde* ſit, nempe *a Deo* inditum eſſe aut additum materiæ Motum.

η) Sicut enim Chriſtiani hoc quidem facile credere poſſemus, ita tamen nondum hoc neceſſe habemus, cum nondum probatum ſit, & pro vero ratum, quod omni materiæ Motus ſit *additus* aut *inditus*: Interim ego, pro meo virili, facile hoc acceptavero, quod illis Materiis, quibus *proprium Principium Motorium* vere inditum eſt, certe *a Deo* ſit inditum, in prima *Creatione*, cum *energia* tamen *multiplicationis*, ſub concurſu *Dei* poſthac ſolum *generali*, mediato, non abſolute ſpecifico & immediato.

ϑ) Interim, (ut de Atheo nihil dicam, qui hanc ſuppoſitionem non agnoverit,) nihilo plus hinc eluceſcet, an *Motus* ſit aliquid *Materiale*: Imo, quia *a Deo* immediate arceſſitur, tanto magis aliquid ϑεῖον inferre videbitur. Unde potius Atheus hoc ipſum aſſumet, quod ipſe potius *Motus* in rebus ſit *divinitas* tota &c. quale quid apud antiquos æque, atque Recentiores, & illum *de ſenſu rerum* ſpeculatorem, facile eſt invenire.

ι) Sicut autem ex hac (ut Galli dicunt, *irreſolutione*) *hæſitatione*, & quo ſe vertant incertitudine, nata eſt ſterilis illa disceptatio, quonam ergo diſcretivo *nomine* res omnino diſcreta appellanda veniat; Ubi certe ſimpliciſſimam omnium viam inſtitit, qui, ceu uſitata rerum *immaterialium* & tamen *activarum* appellatione, *Spiritus* nominavit, & in hoc quidem minus dixit (& tamen verum) quam ipſe *voluit*, in eo vero (cum reliquis) plus quam *debuit*, quod talem *Spiritum*, non ſolum *omnibus*, ſed & *ſingulis* quibusque materiatis rebus aſſignet: Alii vero fruſtra de *nomine* contradicunt, cum realem deſcriptionem amplectantur, nempe quod illud *movens*, a materia *diſtinctum*, ſit aliquid *activum*: imo omnem actum in *materiam*, *in materia*, & *per materiam*, hoc unum abſolvat.

α) Hucusque non tam *nova*, quam ſolum *varia*; *Novum* autem Ens mox efflagitat *adminiſtratio actionis* ſeu Motionis,

tam

tam *abſoluta*, propria, & velut a priori; quam reſpectiva, *proportionata*, a poſteriori.

β) Unde huic Enti activo mox affingenda eſt non ſolum in genere perpetuus *Niſus*, ſeu perpetuum quaſi *deſiderium agendi*:

γ) Sed etiam certa *Tendentia, ita* maxime, & non *aliter*, agendi: Quale quid de *Motu gravitatis* manifeſto ſupponitur.

δ) Sicut autem ita huic *Enti activo motorio* reipſa tribuitur antiqua illa γνῶσις, ſeu inſita *ratio* agendi & ad agendum: Ita tanto evidentius, & cui fruſtra contradicatur, exquiſitiſſime hoc ipſi adſcribitur, in *Mechanismo* ſuppoſito *(activo)* Corporis humani.

ε) Ubi non poteſt ullo modo diſſimulari aut colorari, nedum negari, quin aſſeratur, quod *agens Corporis Mechanicum* ab *Anima* omnino (ſed contra proprias ſuppoſitiones, etiam ipſa Non-Materialitate) *diverſum*, plenam, præſentiſſimam, imo momentaneam habeat talem γνῶσιν, ut ſimulatque anima aliquid *cogitat*, & cogitatum *vult* in effectum deduci, hoc agens Mechanicum *percipiat*, non ſimpliciter *Voluntatem*, ſed *Cogitationem*, quam *voluntate* ſolum ad Corporalem effectum *dirigit* Anima: Id eſt, *agit hoc Mechanicum agens*, non *quia* vult Anima, ſed illud *quod vult*: Cogitatum itaque, *quatenus cogitatum* eſt.

Quæ omnia profecto nihil niſi *Multiplicata Entia* eſſe, nemo poteſt diffiteri, quicunque res diſtincte penſitandi compos eſt.

Ubi ſolum, pro hujus digreſſionis Concluſione, adhuc ſemel illud moneo, quod

Fruſtra pro his varietatibus ſtabiliendis ἀπὸ μηχανῆς Θεὸς in ſcenam inducatur, nempe *potuiſſe* hæc omnia ita fieri, ut omnia talia, ſine ullo interventu *rationalis directionis hypoſtaticæ*, tamen ita fiant convenienter cum rationalibus reſpectibus,

Quia Deus ita voluerit; qui omnia poſſit.

Nam ante omnia illud prius probandum eſt, quod hoc verum ſit, *quod DEUS ita voluerit*, atque adeo ita fecerit.

Quod, priusquam exquiſite præſtitum ſit, importunum eſſet, illam credulitatem a Viro ſanæ mentis exigere:

Propterea, quia *probatum non eſt*, quod omnia & ſingula Corpora Naturalia *habeant* talem *Propriam*, *Activam* poteſtatem, ſibi, ut ſingulis, inditam atque traditam:

Sed quod potius *ſolis* Corporibus perfecte *Organicis* tale Agens datum ſit:

Seu, rem ut eſt eloquendo, *Agentibus illis*, quæ *Animarum* nomine, (&, ſana acceptione nominis, *Naturæ*) ab omni antiquitate notata ſunt, data ſint *Corpora Organica:*

Exquiſitiſſime vero loquendo: *Animabus* data ſit *Energia*, ut in *Corporibus*, *in Corpora*, & *per Corpora*, agendi: ita illa ipſa Corpora ſibi *concinnandi* & *conſtruendi*, tali *Mechanico-Organica* ratione & *proportione*; uti illarum Animarum *Activitatis modulo*, atque *deſtinationi*, ſatisfacere poſſint.

Hanc poſitionem aſſevero habere partim 1) evidentiam τȣ͂ ὅτι, *quod* res ita ſe habere *posſit*, imo actu ita ſe *habeat:*

Partim 2) *congruentiam*, ad evitandam *multiplicationem* illam Entium mediatorum & intermediorum, præter neceſſitatem & veriſimilitudinem; adeoque ad ſimpliciorem intellectum τȣ͂ διότι, *quomodo*, & *quam ob rem* ſeu quem in *finem* hæ *poteſtates* ipſis Animabus datæ ſint & competant: Nempe

1) Poſſe *movere* ſeu agere,

2) Et quidem *concinne* atque *proportionate*,

3) Non ſolum ſecundum *Organorum* diſpoſitionem in genere:

4) Sed, præcipue & maxime, ſecundum rei externæ & adhuc demum *futuræ*, *Finis* propoſiti, *proportionem*, non præſentem, ſed ut ſucceſſibus aſſequendam.

5) Et poſſit ita hoc agere *tempore*, quo fert *intentio:*

6) *Loco*, quo fert *æſtimatio* (ſeu conjectura interdum nuda,)

7) Or-

7) *Ordine, menſura, continuatione, ceſſatione*, omnibus & ſingulis rebus, ad quas *Organorum* habilitas ſe gerat *indifferenter* , ut *actuentur*, aut *non actuentur*.

8) Quæ omnia, uti vulgo etiam agnoſcuntur ab illis, qui diverſa autumant, ſub nomine *Directionis*: Ita cum tamen iterum inextricabilis difficultas eo ipſo inferatur, quomodo illud, quod non compos ſit ad *agendum Motum*, poſſit tamen agere *in Motum*, *flectere* Motum, & quidem ſecundum *proprias* Motus *circumſtantias*, *tempus*, *gradum*, *ordinem*, (*proportionatum* externæ, aut intentionali adhuc, rei,) &c. quæ nunquam extricari poſſit: Nequaquam autem tam dubium ſit, quod illud, quicquid jus habeat *in eſſentiales affectiones Motus* , *habeat jus in ipſum Motum*:

Tolluntur certe ita univerſæ illæ, peregrinorum interponendorum mediorum, (ſemper tamen deſtituentium nexum illum, de quo eſt primus ſermo , nempe quod *materiale & immateriale non posſint habere commercium*) neceſſitates.

Quemadmodum autem ita, ſi quid usquam in hoc genere probationis invenit locum, *probatum* eſſe reputo, quod ipſa *Anima posſit* æque, atque omni jure *debeat*, *movendo actuare* ſuum *Corpus*; & omnia, ſibi quoque *propria*, *Motu* (generice) adminiſtret & exerceat.

Supereſt, ut aliquid adhuc ſubjiciam, de illa objectione, quæ vulgo hic opponitur, nempe, quod, ſi *Anima* ipſa perpetraret *Actus Motorios*, *conſcia* aut *memor* utique eſſe deberet eorundem;

Quam parum autem hæc difficultas obſtet ipſi *veritati facti*, colligi & agnoſci poteſt ex his rationibus.

1) Quod anima nullius rei *conſcia* eſſe poſſit (præfiguratione Phantaſiæ) aut recordari ſeu *meminiſſe*, (Phantaſia iterata) niſi talium, quæ *figurationes* craſſiores, & *locales* craſſiores *motus*, admittunt atque ſubeunt: Quales autem , tam partes tenerrimæ, per quas Motus procedit, quam actus ipſe Motus, qui in has inducitur, non admittunt aut illis quadrant & reſpondent.

2) Quod idem valet de *ſtructura* Corporis. Quæ cum ſimiliter fiat per longe *minimorum* ſucceſſivam appoſitionem; pariter hoc reſpectu nullam *præfigurationem* ſeu veluti depicturam ſubire poteſt.

3) De *conformatione* vero *aggregativa* totius aggregati, ſeu integrarum partium Organicarum, quod non *recordetur* Anima, in cauſa eſt: 1) quod hæ conformationes ita longiſſimo tempore, *lentisſime* fiant, ut illarum neque perpetua aliqua *idea* ita formari poſſit: 2) neque primæ illarum *informationis* Memoria maneat, ob diuturnitatem temporis æque, atque pariter ob valde parvæ molis prima initia ejusdem operationis.

4) Quod Anima non ſolum *multa* agat in Corpore, & per organa corporea, quorum, neque quod agat, neque quomodo agat, diſtincte conſcia ſibi ſit: (ut *Directionis*, & qualiscunque adminiſtrationis omnium *Voluntariorum* Motuum; *Judicationis*, & *dignotionis* æque, atque *agnitionis*, *Odorum*, *Saporum*, *Colorum*, *Sonorum*, *jucundi*, *adverſi*, &c.)

5) Sed etiam *ſui ipſius*, *quid ſit*, *ubi* (exquiſite) ſit, & *quomodo* ibi ſit; *Cur velit*, *quomodo* (exquiſite) velit, aut maxime *Non velit* ſeu averſetur: Quomodo *rationem* & *ratiocinationem* exerceat: Imo *quod cogitet*, eo momento, quo cogitat: Quænam ſit *proportio inter ſe & Corpus* ſuum Organicum, &c. &c. nullo modo *conſcia* ſit, nedum ut eorum recordari valeat.

Quod idem diluceſcit per ſpecies, in omnibus Actionibus animæ, quibus *Motus Corporeos Organicos*, *Voluntarios* vulgo dictos, ita *determinat* atque *dirigit*, ut ipſius conceptui quadrent; ſecundum circumſtantias, non *Corpori*, *ſed motui*, proprias ſeu eſſentiales: *Tempus* (inchoandi & durandi,) *gradum*, *Ordinem* atque *rythmum* arbitrarium, *Ordinem* (ſeu proportionem) neceſſarium, *fini* reſpondentem: *Finem* ipſum, vel pertendendo, inſiſtendo, repetendo, &c. vel, cum *ἀυταρχεία* manifeſta, impetrato fine, *deſinendo*.

Quarum, inquam, univerſarum atque ſingularum rerum nullam *conſcientiam*, ſive *dum fiunt*, ſive quod jam ſæpe & multum *facta* ſint, (dico, *ita uti fiunt* ſeu ab ipſa Anima perpetrantur,)

Anima

Anima habet. Et tamen, quod ipſa illas ita adminiſtret ſeu regat, a nemine, puto, negatur.

Interim ſuperſunt tamen etiam indicia aliqua hujus rei, altiore conſideratione omnino digna, nempe:

1) Conſideratio ſeu Præfiguratio rerum, quæ in Corpore fiunt, per qualescunque rerum craſſiorum & figurabilium *analogismos*: Unde *Somnia*, quæ Phyſiognomis & Oneirocriticis Naturalia dicuntur, Sanguine abundantibus, de rebus *rubris*, *Sanguine ipſo* largius alicubi profuſo, *Cholerico-Sanguineis*, de *Igne*, de *Calore* inſigniter moleſto, *Phlegmaticis*, de *aquis*, *frigore*, *labore* valde delaſſante, *Melancholicis*, de *anguſtiis*, *periculo capturæ* & *carcerum*, *tenebris*, &c. Qualia etiam, abundante maxime Corporearum illarum rerum quantitate, ſatis familiariter occurrunt, morbos ſimiles impendentes propius indicantia (ſeu prænoſcentia potius, ut in proxima potentia, materialiter, ingruentes,) ut laborioſus inceſſus per aquas, tumores œdematoſos antecedentibus ſomniis familiaris. Imo vigilantibus tandem perpetuo obverſans cogitatio de incarceratione, & capitalibus inſidiis, quæ infarctui ſanguinis hypochondriaco-Splenico, cum frequentibus anxietatibus familiariſſimis, ſatis communis eſt.

2) Notitia illa, ad ipſos usque paucorum menſium infantes ſeſe extendens, *benevolentiæ* erga certos, *timoris* autem & *averſionis* erga alios homines: Ubi imprimis paritas externæ quoque Phyſiognomiæ plurimum valet; ſeu intuitus aliqualis ſimilitudinis ſui ipſius. Licet univerſum negotium *jucunditatis* & *adverſitatis* multa huc pertinentia exempla ſuppeditet.

Omnibus autem hisce conſiderationibus fundamentum ſubſternit *differentia* λόγȣ & λογισμȣ̃: *Rationis*, absque Phantaſia, (cujus exemplum ſunt omnes ſenſus, in objectis ſui ſimplicioribus,) & *Ratiocinationis* ſeu *Cogitationis* cum *Phantaſia*: Cui nihil ſubjacet, niſi quod *figurabile* eſt.

Accedit autem inſuper etiam illud, quod, uti ſemper intellectum, ſeu agnitionem ſimplicis agnitionis, ſequitur *Volun-*

tas ſeu *appetitus*; *Appetitum* vero progreſſus ad *exequendum*, quæ executio *Motus* actione & directione abſolvitur: Ita in rebus intimi Corporis, perceptionem fientem, & jucundi aut adverſi (*utilis* aut *noxii*) ſtatim formatam ideam, ejusque appetitum, ſtatim etiam ſequantur idonei *Motus* aut *directiones* Motuum: Quarum tot & tam perpetuarum quaſi rerum non poſſint formari *languidæ* aliquæ & ſigillares *præfigurationes*, cum omnis Phantaſiæ objecta, ſimultanea, diſtincta, & tempus craſſius præſupponant, & numerum exiguum; imo exquiſite loquendo, ſaltem ſigillarem.

E quibus univerſis rebus puto ſatis elucere, quod argumentum hoc, *ab animæ phantaſtica cogitatione de objectis ἀφαντάςοις*, nullum habeat nervum, & nullo nitatur fundamento.

Potius autem commendo omnino maturæ & bene penſitatæ conſiderationi hunc verum *nexum* Actionum Animæ, quod illa non acquieſcat ſimpliciter in *Perceptione* & *Appetitu*: ſed etiam Appetitus executionem, adeoque propoſiti ſibi *finis* impetrationem, perſequi & debeat, & poſſit;

Et hoc quidem certiſſime *Directionibus Motuum*:

Nihilo vero incertius aut improbabilius, etiam per ipſos Motus, ſeu *Actionem Motoriam*:

Adeoque habeat *Energias*

1) *Intelligendi*, (ſub, & ſine, Phantaſia)

2) *Volendi*, ad verum & realiter obtinendum *finem*:

3) *Movendi*: pro fine deſiderato, actu obtinendo.

Ita vero puto ſatisfeciſſe me propoſito meo, nempe deductione nihil interrupta demonſtrandi:

Quod anima & poſſit Actum Motionis exercere:

Et *debuerit etiam hoc poſſe*; quandoquidem alias *finibus* appetitus ſui potiri minime poſſet.

Inſeritur n. XXII. a. aliquid de *impenetrabilitate* Corporum, non obſtante *diviſibilitate* illorum in infinitum, imo ut alibi memoratur, *actuali diviſione* in infinitum, jam vere facta & præexiſtente.

Hæc

Hæc ego aſſerui, meo conceptu, *ſtare non poſſe ſimul.*

Contrarium ſatis luculentum putatur, ex eo, quod corpus, ſive diviſibile ſit ſive indiviſibile, aliud in ſuum locum non ſit admiſſurum, niſi inde prius ipſum excedat.

Ego vero puto, cavendum ſedulo eſſe, ne talibus ambiguis loquendi formulis juſta occaſio detur oſoribus tam Phyſicæ, quam Matheſeos, acerbius notandi, vel σπερμολογίαν aut λογομαχίαν nudam, vel cavillatoriam plane obtrectandi levitatem.

Quid enim opus eſt, de *impenetrabilitate* revera σπερμολογεῖν; De *impenetrabilitate*, inquam, quatenus ſoliditati componitur: (de qua mihi l. all. diſerte eſt ſermo:)

Itane vero τὸ *penetrabile* opponitur, bono jure & juſta vocis acceptione, τῷ *Localiter Uni?*

Ut *impenetrabilitas* ſolum intelligenda veniat de eo, quod in aliquo *Loco* eſt, quamdiu in illo ineſt?

Quid autem ita opus eſt, non ſolum Rhetorica, ſed etiam certe vana; cum hic ſermo ſit de *affectione Corporis*, qua *corpus* eſt: Iſta vero *impenetrabilitas*, quæ hoc ſenſu æquipolleat *Locabilitati*, etiam de omnibus rebus in genere pari modo valeat: nempe quod DUO diverſa non poſſint eodem modo abſoluto ſimul eſſe, ſeu una eſſe, quo eſt UNUM illorum; Dico ſecundum idem & ad idem, eodem tempore; Quod duo *æqualia*, quatenus ſunt *æqualia*, non poſſint eſſe in uno ſubjecto, quod non niſi *unius* talium ſit *capax*. Et breviſſimis, imo vere, (exquiſite ſolum intelligendo,) rectiſſime & exquiſitiſſime, quod *duo* non poſſint eſſe *Unum*.

Hoc autem ſenſu non temere judico, rectiſſime dixiſſe jam paulo Antiquiores, *Non dari penetrationem DIMENSIONUM*, i. e. Corpus non ſecundum totam ſui dimenſionem penetrari poſſe: quæ quidem æquipollet *Loco* corporis.

At, quod juniores non tam *dimenſionibus* (ſimul ſumtis) quam ipſi *Corpori penetrabilitatem* negant, & *impenetrabilitatem*, eandem faciunt rem, cum *ſoliditate:*

Hic ego illud perpetuo tueor, quod ſupra dixi, nempe

quod hoc ſenſu impenetrabilis *ſoliditas* ullius Corporis cum infinita *diviſibilitate* minime poſſit conſiſtere.

Sicut enim & uſus vocis: *penetrare*, & uſus vocis: *ſolidum*, plane aliquid diverſum inferunt, quam iſtis applicationibus intelligi apparet; nempe τὸ penetrare, etiam quamlibet particularem *diviſionem*, τὸ ſolidum vero, quod particulari penetrationi aut *diviſioni*, (ſecundum præcipuam vim vocis, quam maxime) reſiſtit: Ita diviſione quidem aggregatorum ſi tandem perveniatur ad *Monades* Phyſicas, ab omni tam *Mixtione* (heterogenea) quam (homogenea) *aggregatione*, atque adeo ab omni *pluralitate*, remotas: Utpote de quibus demum proprie locum habet quæſtio, aut *penetrabilitatis*, aut abſolutæ *ſoliditatis*:

Ibi de talibus, inquam, Monadibus, de quibus unice ſermo proprie eſſe debet, aſſevero:

I. Quod illæ non posſint ſimul eſſe *ſolidisſimæ*, & hoc ſenſu impenetrabiles: Et tamen *diviſibiles*, imo *actu diviſæ*, in *infinitum*.

II. Aſſevero, quod nec *a priori*, nec *a poſteriori*, ullam neceſſitatem perſpicere valeam, quam ob rem hæc talia Corpora, Monades inquam Phyſicæ, (&, juſto ſenſu, *atomi* Democriti) ſive *debeant* in infinitum dividi poſſe, ſive usquam, ullo inquam exemplo, merito videantur aut *intelligantur*, in immenſum, (numericum) nedum *in infinitum*, dividi *ſolere*.

Quandoquidem fateri non dubito, quod non niſi *unum ſolum exemplum* invenire valeam, cui per hanc diviſionem ſubveniri velle putem: Et tamen huic quoque ita non vere ſatisfieri, manifeſto intelligam:

Adeoque quam maxime contendam, ut de hujus rei Phyſica veritate, nempe de *Diviſibilitate* corporum Phyſica *in infinitum*, ulla *probatio* afferatur:

I. Quod illa vel dari *debeat*, *uſum*, imo *neceſſitatem* aliquam, præ ſe ferat:

II. Vel *actu detur*, in ullo exemplo Phyſico.

Ubi tamen proteſtor contra *petitiones Principii*, de *abſoluta pleni-*

plenitudine in infinitum: cui opus ſit diviſione in infinitum, &c.

Ex adverſo vero exigo productionem *vere exiſtentium*, atque *ſientium*, Phyſicarum rerum; de quibus, & per quas, decenter *probetur*, *quod tale aliquid actu ſiat*:

Econtra vero evitentur ita atque tollantur opiniones illæ ſemper in circulum redeuntes, & varias inanes ſuppoſitiones poſt ſe trahentes, de eo, quod *fieri poſſe* putetur.

Et ſub his univerſis rebus omittantur ἀκυρολογίαι illæ, dum vocabula inuſitatis acceptionibus ad alium ſenſum trahuntur:

Tanto magis autem exulent ταυτολογίαι tales, qualis in hoc ipſo exemplo occurrit, ſub *impenetrabilitate localitatis*, tanquam peculiaris rei: Cum ipſa ratio *Unitatis*, ut talis, (licet etiam per Unionem plurium formatæ) ſatis tollat & excludat conceptum, quaſi *duo* æqualia, usquam, ita κατ' ἀυτὸ, *ſimul* ſeu *una* ſubſiſtere poſſint.

Protuli autem plura, ad has res pertinentia, *Obſerv. de Diviſionis Mathematicæ, & Diffisſionis Phyſicæ, diverſitate.*

Quod vero n. XXII. b. allegatur, *Omnem* (juxta meam aſſertionem,) *actum* eſſe *Motum*; non poſſe quadrare ad *Motum localem*:

Quæro, an Motus localis ſit *actus*, nec ne? Credo affirmatum iri prius.

Ita vero, licet non *omnis* actus ſit Motus *Localis*; tamen *quidam* actus erit *Motus Localis.*

Cum vero Motus *Localis* comprehendatur utique ſub Motu *in genere:*

Et cum ut *actus quidam* comprehendatur utique ſub *Actu in genere:*

Recte itaque ſub *omni* actu comprehendetur *quidam* actus: Et ſub *Omni* Motu comprehendetur etiam *quidam* Motus, nempe Localis. Et viciſſim. Omnis actus eſt Motus, ergo & quidam actus erit quidam Motus.

Quod autem veram acceptionem Motus *localis* attinet, conſiderandum utique eſt, quod nullus plane detur aut exiſtat

ſtat *Motus Localis*, in ſe, & quatenus eſt *actus* ſeu *actio*, conſideratus:

Sed unice ſit & fiat Localis in *concreto* ſeu *ſubjecto*; ſeu ipſa potius *ſubjecta mutent locum*, *non Motus*. Id quod conceptu craſſiore quoque patet, v. g. ſi Motus incurrat in Corpus cylindricum ferreum, (Bücken-Stein) ſuper plano poſitum; dum hoc corpus inde pellitur linea quantumlibet recta, mutat quidem ita *Corpus* locum, ſed ſane *Motus*, quemcunque habet in illo corpore, locum & ſedem non mutat, ſed manet in ipſo Corpore, quoad per plura contingentia ſenſim digrediatur, & ita quoque non tam *locum* ut *locum*, ſed *ſubjectum* ſolum, mutet.

Si vero *Localitas* accipiatur ita generaliter, ut etiam omnem diverſitatem ſubjectorum complecti cenſeatur; Tunc abſolute *omnis Motus*, quemcunque anima præſtare poteſt, erit *Localis*: Cum Anima ipſiſſimo imprimis actu *ratiocinationis & cogitationis* abſolute & eſſentialiter ab una re ad aliam progredi, & miſſa priore poſteriorem aſſequi, neceſſe habeat, adeoque *talis ſenſus acceptione*, Locum mutare.

XXIV. Rectiſſime vero *reprehendendi* ſunt Medici propter *inanem* uſum Salis Volatilis Urinoſi intra corpus, ad *diſſolvendum* Sanguinem coagulatum.

Equidem in terminis propoſitis, *tentare*, erat integerrimum. Sed cum neque *experimentum* eſſet verum, ſeu tentamini bonum effectum exhiberet, neque *ratio* efficaciæ ejus ſuffragaretur; potius autem contrarii effectus longe ponderoſiores, & ratione & experientia, deprehenderentur: Perperam egerunt, & ſemper agent Medici, quod irritum tentamen ſemper denuo inſtituere non deſiſtant.

Quod autem ad extravaſati ſangvinis coagulationem impediendam, *intus* alia ſint auxilia, quibus ſolum recto ordine ſuccenturiari poſſit, & recte ſimul quadret *Salium Volatilium*, ut *diſſolventium*, uſus; eſt prorſus alienum ab omni Medico-Phyſiologica cogitatione, nedum ut proclive eſſe poſſit. Cum auxilia vera, qualia actu in Corpore inſunt, pro ſangvinis extravaſatione reſtituenda, & coagulatione impedienda, alie-

nis-

niſſima ſint ab omni effectu *Salium Volatilium;* imo hic potius præpoſtera efficacia iſtis adverſetur.

Unde ultima aſſertio hujus §. iterum aberrat *a facto* ſeu re ſubſtrata, de qua eſt ſermo; Cum non amplius ſit locus rationabilis *tentaminibus*, poſt toties non ſolum *irrita* tentamina, ſed & rationem obloquentem, & certe alieniores, imo noxias conſequentias inde reſultantes.

Quibus de rebus, Practicis omnino, irritæ ſunt omnes *ἄπρακται*, nedum *ἀντίπρακται*, ſpeculationes.

Quod juxta §. XXIV. non capiat, quomodo *vera alterantia* ſint rara avis: credo quidem, ſed nihil infert. Legi hac de re debet Disput. a me habita, de *Alterantibus & Specificis.* Sed fruſtra erit omnis Lectio, Praxeos vera & circumſpectisſima *Experientia* deſtitutis. Breviſſimis autem, *Alterantia* ſtricte dicta opponuntur *Evacuantibus:* ſiquidem quod noxium amplius non eſt, non indiget *evacuatione.* Quæcunque vero *humores* alterant ſolum *ad* meliorem *evacuationem*, *Præparantia* commodius dicuntur Medicis; ut nempe ita menti offeratur, quod *Evacuatio* ſubjungi omnino debeat. Quo minus autem in terminis faciles eſſe poſſimus, impedit adverſa Praxis, quæ, ex irritis talibus præſuppoſitis, (quale inter plura eſt modo tactum n. XXIII.) & *ἀπράκτοις* credulis conceptibus, de *mirifica* tali operatione totius Materiæ Medicæ, qualis a vaniloquis ſcribillatoribus narratur, & inſuper paris vanitatis opinionibus, de *ſexcentis potentiis ſalinis* in humorum animalium Craſi, omnia temere ad *Alterationes* ſimplices reducere connititur. E qua tamen re nihil aliud, niſi vel plane nulli, vel æquivoci & ſemper incerti, vel plane noxii effectus deinde conſequuntur; Qualium proinde feraciſſima eſt hujusmodi moderna Praxis, quotiescunque in talia ſubjecta incidit, quibus vere opus erat Artificialibus *auxiliis & ſubſidiis.*

 Unde

Unde nequaquam otioſa eſt noſtra Admonitio, & ad ravim usque repetita inclamatio talium abuſuum, &, ſub exquiſitis explicationibus & abunde ſuppeditatis diſtinctionibus atque declarationibus, provocatio ad *ſaniora conſilia*, & magis *fida auxilia.*

Rectisſime vero, hoc maxime loco, harum rerum mentio fieri debebat, ubi de ſolida *animi adverſione*, *obſervatione*, *agnitione*, *imitatione*, ſeu *deductione in uſum*, *Vitalium Conſervatoriarum Evacuationum*, erat ſermo.

Ut nempe ita recte intelligatur, atque omni modo attendatur, quanto plus poſſit *Ars*, cum natura ipſa *conſpirans*, eique *ſociam* operam jungens: quam pure propriis *tentaminibus* atque poteſtatibus, ſine *præſidiis* ipſi Naturæ jam *notis atque uſitatis*, directe agere, & pro ſuo arbitrio vincere, ſibi ſumens.

Minime vero e Praxi fluunt, quæ tanquam talia ibi allegantur, de *uſu*, ſeu potius *efficacia*, *Vomitoriorum in Apoplexia*; de duplicibus *alterantibus*, &c. quæ nusquam, niſi in nudis ſpeculationibus, ſubſiſtunt.

XXVI. Minime vero inepte dicitur, quod ea, quæ excerni debeant, *moleſta* ſint: ſed illud ſolum laborioſum mihi ſemper viſum eſt, quomodo *vox*, aut potius *res* ipſa, *moleſtiæ* objiciendæ, ſeu *moleſtationis*, applicari poſſit ad actus & effectus *mechanicos*, de quibus hic eſt ſermo. Quicquid itaque non valet reduci ad actum *pulſionis*, *preſſionis*, *truſionis*, *concusſionis*, fruſtra memoratur voce moleſtiæ: Et contra, nihil opus eſt voce *moleſtiæ*, ubi illa locum habere poſſent. Cum autem illa minime probari poſſint de pluribus, & maxime eminentibus, hujusmodi exemplis; bene vero *moleſtia*, imo paſſim propius expectandum *periculum* ſubſit: proinde reducenda eſt illa *moleſtia* ad illud *principium*, quod & percipiendæ præſentis *moleſtiæ*, & præcipiendi hinc impendentis *periculi* compos eſt.

Ad

Ad pag. 151. repetita dubitatio, de *Alterantibus in ordine ad Evacuationem*, ſoluta eſt n. XXIV.

XXVII. Quantum ex iis, quæ hic afferuntur, hariolari poſſum, puto *Harmoniam præſtabilitam* nihil aliud eſſe, niſi *Naturam*, illo ſenſu acceptam, quo de *Lege quaſi poſitiva divina* accipi ſolet, *ſecundum quam omnia ita fiant, uti fiunt.* Hujus conſideratio cum intellectui noſtro nulla pateat, niſi *a poſteriori;* ſi rem a materialibus & corporalibus ſubjectis ordiamur, nihil aliud inferet, niſi, quod hæc ſubjecta ita facta & conſtructa ſint, ut aliam *actionem non ſubeant*, ſeu *recipiant;* Adeoque a *receptivitate Patientis* argumentum formandum erit ad *activitatem agentis.*

Cum autem *receptivitas* Patientis, quantum ad *cognitionem*, ſoli *ſenſuum* teſtimonio inſiſtat; imo vero actui *experientiæ:*

Sequetur hinc, quod, quicquid *ſenſu* non compertum habeamus, non ſit *verum.*

Si in juſto ordine maneamus, nempe, quod omne, quicquid *experientia* ſenſuali non ſit deprehenſum, *cognitioni* noſtræ non ſit verum: Omnia recte habebunt.

Minime autem inde progredi licebit, ad negationem *veritatis ipſarum rerum, extra* noſtram *cognitionem.*

Cum vero actus *Experientiæ* non debeat circumſcribi ſolo *ſenſuum* teſtimonio: ſed potius *Activitati avidæ, vigili, alacri, ſolerti, ſagaci,* bene *ordinatæ*, neceſſariis ſubſidiis affatim *inſtructæ*, ab *erroribus & præjudiciis* optime repurgatæ, & longe *plurimarum* rerum, (ſpecierum ſubalternarum, nedum ſpecialiſſimarum,) perveſtigatione bene fundata imbutæ, inniti debeat:

Magnum profecto poſtulatum eſt, & nullam excuſationem admittens, *veram Harmoniam a poſteriori ad priora formare* velle, niſi Activa tali, non nuda qualicunque actuali, Experientia, bene, imo optime, inſtructus, negotium hoc aggrediaris.

Dabo, e pluribus, duas tantum conditiones.

1) Niſi exquiſitiſſime perſpectam habeas differentiam Regni Corporum Naturalium, *Factorum* quidem, ſed nulla neceſſitate iterum, aut amplius *fientium;* a regno ſpecierum Naturalium, *neceſsitate exquiſita* iterum iterumque *fientium:* abes ab ipſo limine.

2) Niſi Syſtema *uniformium*, & *uniformiter perpetuorum Motuum vere Macrocoſmico-Syſtematicorum*, ſatis perſpectum habeas; Inepte aſſignabis ſingulis immenſi numeri Corpuſculis, non ſolum plurimorum, ſed fere præcipuorum, Motuum, quos *patiuntur*, inſitam atque propriam *Activam* energiam.

Poſſem adhuc duas adjicere conditiones, 1) cautiſſimam diſcretionem *Individui Phyſici* & *Aggregati ordinati*, *ſtructi*, *ſimpliciter organici:* 2) Abſolutam neceſſitatem exquiſitæ ſcientiæ *Chymicæ*, pro *Mixtionum* negotio indagando: Sed puto abunde eſſe in illis duobus, nedum in his, & adhuc pluribus.

Unde ſummopere cavendum eſt, ne ſub magnificis nominibus, & vaſtis conceptibus, ſive res *puræ opinionis* præſtruamus, ſive ſtatim ad generaliſſimam illam applicationem, *immediate*, recurramus: *DEus ita voluit;* ita conſtitutum eſt, nulla alia eſt ratio, nullus finalis, nullus eſſentialis reſpectus, quamobrem hæc ita fieri debeant, niſi quia ita *abſolute voluit DEus*: quæ eſt plebis Philoſophia: Es hat eben ſeine Art alſo.

Nullo autem usquam opus eſt novo ſpecioſo titulo, ſi ſolum intelligatur, uti quidem apparet, antiquum illud; *Quod Agens agat ſecundum receptivitatem Patientis:* Adeoque nihil poſſit perfici, niſi *Harmonia* ſit inter *Agens & Patiens.*

Cum autem *liberum* agens etiam *poſsit*, ſi non perficere, tamen *audere*, quod fieri *non poſsit*:

Et

Et hoc maxime familiare ſit *humanæ* Animæ, ita uti hodie eſt: Quin etiam animalia bruta ſæpe ſumma ope contendere videamus, quod perficere, & in plenum actum deducere, non obtingat:

Ubi hic manet *Harmonia* illa *præſtabilita*, unice *a poſteriori ad prius*? An ergo illa, quæ fiunt cum ſumma contentione, (licet effectu non potiantur,) *non fiunt*, *non exiſtunt*, *non vere ſunt?* Aut eſt aliquid, imo plurimum, quod ſit & fiat, nihil obſtante *ulla Harmonia præſtabilita*, ſed *extra ipſam*, *ab* alio plane *principio*, & *ſecundum* plane aliud, & quonam referendum? An ad poſitivam *Dis-Harmoniam*, *etiam præſtabilitam?*

Certe enim & hoc, aut *ab* alio Principio, aut *ſecundum* aliud Principium, *contrariæ Harmoniæ* fieri neceſſe erit.

Ad reliqua vero omnia, de *poteſtate animæ ultra receptivitatem Corporis*, jam ſupra abunde dixi.

Velim tamen, ut monſtretur, annon anima multa *poſſit*, imo *ſoleat*, *tentare*, *machinari*, *moliri*, *contendere*, maxime omnium autem *velle & ſperare*, *ultra receptivitatem Corporis* & rerum Corporearum?

An auſus hi, appetitus, tentamina etiam Organica, *nihil* ſint; licet *effectu inania* ſint?

Unde hoc habeat *Corpus*, ut animæ *multum*, imo *plurimum*, etiam pro *talibus auſibus* obſequatur, citra ullam realem *proportionem* ad propoſitos *impoſſibiles fines?*

An etiam hoc obſequium Corporis ab *Harmonia* aliqua *præſtabilita* injunctum & inditum ſit, ut *fruſtra* obſequatur?

Sed nolo talibus implicationibus immorari.

XXVIII. Nihil minus autem usquam ſequetur e meis aſſertis, quam illud, quod hic, neſcio plane qua *method*, aut ulla *conſequentia*, reſultare putatur.

Dico, *magis*, aut *minus*: Non *maximum*, aut plane abſolute *omnia*: Non *minimum*, aut *plane nihil*.

Sed & in terminis, allegata p. 160. allatis, manifeſta eſt locutio de *Motibus Organicis*: qui uſitatiſſime intelliguntur *Voluntarii*. &c.

Conſuetudo in Corpore nihil efficit, niſi *agilitatem*: In anima vero *activitatem intentionalem*; ſeu *promptitudinem ad agendum*.

Notiſſimum autem eſt, ad plurima aptiſſimum & *agilisſimum* eſſe Corpus; interim nihil fieri, ſi *Activitas* Animæ deficiat: Loquor de actibus Organicis *Voluntariis*.

Cum autem hi *Voluntarii* Motus, in Organa Corporea inducendi, ſint omnium uſitatorum *fortiſſimi*; & tamen Anima in illos tantum juris habeat, ut illos, prout libitum eſt, *inchoare*, aut *omittere*, *gradu inſigni* exercere, aut *lenisſime* inſtruere, &c. valeat: Certe nihil video, quod impediat, quo minus *placidiores*, *languidiores*, &c. pariter gubernare, & in illos par jus habere poſſit:

Ita tamen, uti fini *præcipuo*, & vere *neceſſario* atque minime *omittendo* aut *ſeponendo*, quadrat. Cui *adverſas* alias *intentiones* minime eodem *vigore* & firma *intentione* ſuſcipiat, quin ſemper potius, verius *neceſſario*, & indeſinenter *neceſſario*, fini longe *conſtantius* inſiſtat, ipſis *debitis*, & inſuper conſtanti ſerie *adſuetis*, actibus, quam ut propter novam & *fugitivam intentionem* ſtatim aliquid *contrarium* ſuſcipiat.

Quo

Quo ipſo quoque loco quam maxime allegandam conſentio illam *intimam*, *tenerrimam*, *ſenſationem*, quæ in opere *præcipuo*, & *jugi continuitate neceſſario*, ſervet *Intentionem* ipſam *Motoriam*, quo minus illa, ad *adventitias* occaſiones, frivole & præcipitanter accommodetur ſeu transferatur. (Cujus rei exemplum eſt etiam in arbitrariis intentionibus fortioribus, circa objecta externa, nullius veræ neceſſitatis rationem habentia; ſuper quibus multa aliunde incidentia non attendit anima.)

Unde *Adſuetudo*, ut etiam tranquilla animi adverſio commonſtrabit, ſemper longe magis fundatur, (in Corpore animali, vivo, ſenſili,) in *activitate*, ſeu facili atque alacri *promptitudine ad agendum*; quam in *agilitate* ſeu *habilitate* Organorum Corporeorum:

Utpote quæ poſterior, per ſummam latitudinem *flexilitatis* Corporearum partium, ad pleraſque actiones ſemper eſt maxime proclivis, & affatim diſpoſita.

XXIX. An *verus* ſit metus, quem §. hic allegat, ſuo loco relinquo; quod *juſtus* & *fundatus* non ſit, patere poteſt ex iis, quæ ſupra allegavi, de communibus affectionibus Corporis & Animæ.

Minime omnium autem invenio fundamentum ejus ullum, nedum rudimentum, in *Indole Activitatis Motoriæ*. Animam ſuo Corpori *timere* debere, juſtiſſimum eſt, tum *a priori*, quia Anima *ſine Corpore* omnia illa, quæ de illa ſcimus, *omittere* neceſſe haberet, & nihil horum poſſet, (quantum quidem certo ſciamus.)

Tum *a poſteriori*, quia utique Corpus eſt ita ſumme *fragile*, & inter multa *extrinſecus* impendentia, *quæ non ſunt in animæ poteſtate*, ut pro ipſo perpetim *excubias* agere, ſit *juſtisſimum*, imo paſſim *neceſſarium*.

Quo-

Quomodo autem actus *Motorius* Animæ a Motibus *extrinſecus* incidentibus in idem ſubjectum, quod illa jam afficit, ita *immunis* eſſe poſſet, ut ille nihil inde alteraretur, eſſet certe per univerſam rerum Naturam creatam impoſſibile, niſi per ſolam illam rationem, (quæ mihi paſſim imputata hucusque eſt, a qua vero ego longiſſime abſum, nempe) ut *animæ poteſtates eſſent infinitæ Energiæ*.

Quod cum alieniſſimum ſit ab Ente, etiam manifeſtiſſime *finito*, & in omnibus, vere notis, ſuis actionibus, non ſolum ad *certos*, ſed etiam *craſſos*, & maxime *arctos*, *fines* adſtricto; *Inanis* eſt proinde omnis talis *timor*, & nulla usquam *conſequentiæ* apparentia.

Longiſſime autem hoc ipſo adhuc abeſt ab eo Anima, ut in *ſpiritus Corporeos* transformaretur; aut quidquam *Corporeum* ita fieri deberet.

Longisſime pariter abeſt hæc ſententia ab *Hobbeſii*, *Spinoſæ*, *Campanellæ* &c. phantaſiis, quæ ſenſationem non fieri *per reactionem*, ſed eſſe ipſam *reactionem*, ſomniaverunt; a quibus ludibriis quantum abſint, qui totum ſenſationis actum *Corpori & Spiritibus Corporeis* tribuunt; neque *ſenſationes* ſolum, ſed *Motus* quoque, *ſenſationibus*, & *proportionate* quidem, *obſequentes*, & veſtigia legentes, his adſcribunt; id ipſi viderint.

Quæ omnia ego potius *demonſtro*, ab omni *ratione*, propter defectum ullius *probabilis finis*, & ab omni *Experientia*, propter defectum ullius *exempli*, (a *petitione principii*, remoti,) alienisſima eſſe.

Manifeſtisſime vero *neceſſaria* eſſe, *Animæ* univerſis, quas unquam vere *cognitas* habemus, *poteſtatibus*; tam ſecundum ipſarum *ſubjecta*, quam *objecta*, *finem*, & *media*, his ſubjectis & objectis (ut in ſe ſunt) unice quadrantia & *proportionata*.

Ita

Ita utique, uti rectiſſime concluditur denique, alieniſſimus utique ſum ab Animæ adſcribenda *Materialitate* aut *Corporeitate*, nempe nuda *patibilitate*, & *propriæ Activitatis carentia*.

Minime vero ſimul alienus ſum a tollenda tali *Immaterialitate* Animæ, quæ in abſoluta *negatione* omnium affectionum, Materiæ competentium, collocetur.

Sed aſſevero potius, quod Anima *duas* habeat *manifeſtiſſimas affectiones*, cum Corpore *conſentientes*:

Primo, *finitatem*: (Non tam conſtantis & abſolutæ *Localitatis*, quam certo definitæ *Activitatis*.)

Secundo, *Activitatem* certiſſimam, & quæ nusquam magis indubitanter evidens ſit, quam *cum Corpore, in Corpora, de Corporibus, propter Corpora, per Organa Corporea*, ſive ut in Scholis ajunt, *Corporeas* res habeat, totius (certius cognitæ) ſuæ *Activitatis Subjectum, Objectum, finem, Inſtrumenta*: Et inſtrumentorum horum ſui proximorum intuitu, etiam intentiſſime hunc *finem* intimum & proximum ſuæ *Activitatis* habeat, talium Organorum *Corporeorum*, & *concinnationem*, & *conſervationem*, & *reparationem*, per meras *actiones Motorias*, admotiones, remotiones, transpoſitorias Motiones, ſeu directiones, novæ Materiæ Voluntatem ſeu *appetitum*, impetratæ iterum admotionem, & hæc omnia ita perpetim, uti nempe *Ens Agens*, cujus præcipua pars Eſſentiæ in perpetua *Actione* conſiſtit, decebat:

Et illi maxime conveniebat *Subjectum & Objectum*, quod non *ſtabile, immobile*, & *immutabile* eſſet: ſed perpetuæ *actioni*, perpetua *pasſione*, ſeu receptivitate actionis obſequeretur.

Minime vero, etiam ex altera parte, Animæ ullam *immaterialitatem* aſſero, quæ ab exquiſitiſſima & paratiſſima *Motoria*, (ſeu Motus πολυμορφοτάτες exercendi) *Activitate*, differat.

Quo, nempe ingente præcipue gradu, *Humanam* a *Brutinis* vere diſtinctam eſſe, (quantum ad Phyſicam cognitionem) autumo.

Interim, quæ revelatæ *fidei* de illa ſunt dogmata, uti *gratiæ abſolutæ Divinæ* aſſignanda eſſe cenſeo: Ita tamen etiam in his, qualia nunc cognitioni, circa res Phyſicas, offert, nullam invenio contradictionem cum illis *gratiæ* donis. Cum non abhorreat ab omni conceptu, quod huic agenti potuerit impreſſa & indita eſſe *perpetua activitas*, circa *pares*, imo *exquiſitiores, Activitates*, & *perceptiones altiorum activitatum*, qualem *Activitatem ſine fine retinere & exercere ipſi datum ſit*. Dico, circa eadem, ad minimum in genere, Objecta:

Dum interim aliis Animabus longe magis *arcta* activitas in pauciora objecta, & minore gradu, tributa ſit; quæ poſthac etiam in alia ſubjecta & objecta transire, diſtrahi & diſpergi, aut plane activitatem ſuam omittere poſſit atque debeat:

Cum utique *inconcuſſæ veritatis argumentum*, humanitus, exiſtimem, quod *quicquid cœpit, poſſit etiam deſiſtere*, i. e. quod *potuit non eſſe, poſſit iterum non eſſe.*

XXX. Quid autem ſentiam de *Motu locali*, dixi paulo ſuperius, nempe quod *Motus non mutet locum* in ſubjecto, licet *ſubjectum mutet* locum: adeoque *latio* non *motui*, ſed *ſubjecto*, eveniat.

Quod vero hic dicitur de Motu ut *Aggregati* aut uti *Monadis;* Certe non pertinet ad ullam affectionem, quam Motus vere cum Corpore *Communem* habeat: Sed reſpicit affectionem Motui internam & eſſentialem, nempe *gradum*, ſeu *quantitatem Activitatis.*

Sicut enim *fortis actus Motus* tam poteſt cadere in *Monadem Phyſicam*, quam in *Aggregatum:* Ita *debilis* poteſt cadere tam in *Aggregatum*, quam *Monadem:* Tota Phyſica reali hiſtoria non ſolum teſte, ſed potius (realiter) vero ſubjecto talium actionum:

Quomodo vero *Motus*, tam *localis*, quam præcipue *ſitualis*, magis cadere ſoleat, nedum poſſit, in *Aggregata*, quam *Monadas*, ingenue fateor, me nullo exemplo vulgaris acceptionis comprehendere. Dum potius immenſa illa exemplaria Motus *fluiditatis* omnis generis, *Igneæ, aqueæ, aëreæ, luminoſæ*, primo & radicaliter, meros motus *Monadum*, mihi quidem, præmonſtrent.

XXXI. Quæ vero ſit *propria actio Animæ*, ab omni *Motu*, ſeu progreſſu *de una re ad aliam* diverſa, iterum confiteor, mihi non liquere. Bene vero, quod *actio Motoria in res Corporeas* non ſit ipſe *actus Intellectus* aut *Voluntatis.*

Quod, ultimo loco, de *Impetum facientibus* corporeis rebus dicitur, uti nullis allegatis rationibus fulcitur, ſed ſolum ſimpliciter ponitur; Et præterea *Actio Corporum*, cum *actionibus in Corpore*, & *in Corpora*, permiſcetur; Et *Ens Agens in Corpore, in Corpus, ad Corporales fines, per Organa Corporea*, pro *ſupernaturali* ita habendum fore reputatur: Fateor ingenue, quod non ſolum non ipſe intelligam, ſed quod ullo modo diſtincte intelligendo vera eſſe poſſint, per rationes prolixe & repetito allatas, diffidam.

CON-

CONSPECTUS
Præcipuorum Capitum Dubitationis.

EX omnibus his perplexis diſceptationibus, ut B. L. ſummam veluti totius diſſenſus contueri poſſit, quo Dn. Autor a meis theſibus diſcedere videri voluit, commodum fuerit notare, quod pauca quidem ſint ſumma illa capita, quæ in dubium vocare ſuſceperat: interim, per occaſiones, etiam alia quædam hinc inde decerpſerit, quibus multa potius, quam multum, dubia offendiſſe, innueret.

Præcipua illa erant, I) Quod ego dixiſſem, aliqua circa Species rerum naturalium Caſu fieri; ſeu, quasdam ſingulares unitates corporeas, quas Scholæ Individua vocant, caſu gigni, aut aggregari: Dum aliæ (finali) neceſſitate iterum iterumque reficiendæ ſint: Imprimis ſub ſpecifica aggregatione.

Hic licet totum dubium facile evaneſcere potuiſſet, ſi diſtincti reſpectus talium rerum in mentem veniſſent; nempe, neceſſitatis materiæ; neceſſitatis eventus ſeu effectus; necesſitatis efficientiæ inſtrumentalis ſeu miniſterialis; & tandem neceſſitatis efficientiæ veræ, principalis, & hujus relationis ad neceſſitatem finalem; (de qua Scholæ dicunt, quod finis moveat Efficientem, ut effectum producere aggrediatur,)

Tanto magis autem, in noſtris ſcientificis conceptibus, transſcendentales illæ conſiderationes, primæ cauſæ abſolutæ, ne quidem locum ſibi vendicare poſſint:

Placuit tamen Dn. Autori, hunc maxime reſpectum exigere; adeoque, ipſa religionis ſpecie, exaggerare, quaſi hac mea conſideratione Divinæ Providentiæ, & Directionis, gloriæ, aliquid detraheretur. Quæ nempe, ipſius ſenſu, ultimato, & immediate ad ultimum effectum potius, quam eventum, omnium rerum, quæcunque in hoc mundo, per omnia minutiſſima, contingunt, directe pertendat, & effectus illos ultimos perpetret & perficiat.

Sicut autem merito monui, quod talis opinio, imprimis circa libere agentium actiones, directiones, & operationes, ſecundum perverſas morales intentiones, longe plus incongrui ſenſus introducat; Si nempe neceſſitas talium effectuum, ita abſolute, per uni-

verſas cauſas intermedias ſeu ſecundas, immutabili Voluntati, deſtinationi, imo ultimæ directioni Divinæ, tribueretur: Id quod ex hac præfiguratione, certo, & ſupra omnem diſſimulationem, flueret:

Ita declaravi tamen, adhuc prolixius, mentem meam, quam illo loco, qui Dn. Autori diſplicuit, explicueram.

Certa interim & plane conſtante ſententia, quod huic conceptui longe ſecurius (intuitu religioſæ æſtimationis,) acquieſcere liceat, quam adverſæ illi, de univerſali deſtinatione, & ſingulari (per omnia ſingularia) directione Divina, ad omnia quæcunque fiunt.

Ubi Dn. Autor, etiam citra evidentiam, mihi tribuit, quaſi ego tradiderim, quod illa ſententia, de quibusdam rebus, caſu fientibus, ſolum melioris conceptus ergo, aſſumi mereatur. Intellige, licet res ipſa aliter ſeſe habeat. Quamvis enim omnino verum ſit, quod hæc mea ſententia utique longe commodiori conceptui ſerviat, quam illa, de abſoluta, (a parte ante & parte poſt) deſtinatione & directione, ad ſingulos quosque effectus: Nequaquam tamen illud usquam ſentio, aut conſentio, quod ipſam hanc poſteriorem pro ita certa, & extra dubium omne poſita, agnoſcere valeam, ut alteram illam, ſaltim commoditatis ergo, tantisper adſumendam ſuaderem: ſed quod omnino alteram, pro inconveniente, & ſiniſtris ſubſumtionibus viam ſternente, declarem.

Unde quidem Dn. Autor, & quicunque cum ipſo faciunt, alium ſibi adverſarium quærere debuerint, qui otioſas illas, quin odioſas, diſceptationes, ad unguem, extricent; quæ de Omniſcientia, Omnipræſentia, Omnipermittentia, & Omnificentia, (ultima & abſoluta efficientia) Divina, ſine cauſa, ſine effectu, & ſine uſu, ſerram litium reciproce trahunt. Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Mea vero diſtinctio, in illis rebus, de quibus & in loco arrepto, & in reſponſione, locutus ſum, & in hac uberius explicui verum rei habitum, ut omnino evidentiſſime fundata eſt: Ita nihil cauſæ eſt, quamobrem ambiguam talem Scepſin ulterius refellam. Sicut enim luce meridiana clarius eſt, quod animatarum ſpecierum individua parvum tempus durent; adeoque in locum fatiscentium nova reſtitui, ſeu denuo Fieri, ita neceſſarium ſit, ut, niſi hoc fieret, ipſæ ſpecies interirent: Ita nihilo minus etiam illud certum eſt,

quod

quod inanimatarum ſpecierum individua, niſi fortuitis occaſionibus diſſolverentur, ſemper durare & perſiſtere poſſent; adeoque nulla neceſſitas eſſet, quare iterum iterumque fieri deberent.

Unde certe fulguri e pelvi ſimilis haberi poſſet horror ille, quaſi e tali contemplatione non ſolum naturali, ſed prorſus revelatæ Theologiæ, cuniculus aliquis adreperet.

Secundum, e præcipuis illis, & quaſi ſummis, capitibus, Dubiorum objectorum, altioris contemplationis ἀκρίβειαν mereri, videri poſſet. Non equidem ipſum etiam ulla ſua culpa; cum revera, ſaltim ordinate & tranquille penſitando, evidens plane ſit eius veritas: Sed hominum, alia omnia potius, quam quæ rerum naturæ, placent, comminiſcentium, opinione.

Eſt autem, quod ego, cum tota Schola Medicorum Phyſiologorum, animæ tribuam Energiam, Motus, conſervationi æque, atque uſui reliquo univerſo, corporis ſui convenientes, active agitandi. Seu, corpus ſuum, tam vitalibus, quam animalibus, motibus inſtruendi & exercendi.

Quid, cum antiquioribus Sophiſtis, etiam ipſe Galenus huic veritati oppoſuerint tricarum, triplici illa animarum ſerie; Vegetativæ, ſenſitivæ, & rationalis: in Scholis notum eſt. Medici vero, quotquot hac de re aliquid ediſſeruerunt, uni animæ tres has facultates tribuerunt: Vocatis ſolum in ſubſidium ſpiritibus, ne anima immediate in corpus agere videretur.

Cum autem, hoc ipſo, ſuſpicionem ſubirent, quod rationem illam tacite agnoſcant, quæ alterius ſententiæ fundamentum conſtituere debebat; Nempe, quod Anima incorporea nihil commercii immediati habere poſſit cum corpore: Non abſurdis, ex hac hypotheſi, ſtricturis adverſariorum perpetuo expoſiti manſerunt.

Dum enim Corporeum, & Incorporeum, ſimplici Scholarum æſtimatione, ſimpliciter contraria & oppoſita haberi deberent; oppoſitorum autem nulla inter ſe ſit communio: Manſit proinde perpetuum harum duarum opinionum disſidium. Ubi quidem Philoſophi illi, certe Sophiſtæ) canonis hujus abuſu, de oppoſitorum extremo diſſidio, in communi judicio vincebant: Medici vero, huic documento fraudem ſubeſſe non animadvertentes, obſtinata ſententiæ ſuæ poſſesſione, vel quaſi, nitentes,

decreta, adverſariorum potius, quam juſtorum arbitrorum, aſpernabantur. Interim autem fundamentum totius erroris non attingebatur, nedum detegebatur.

Quamvis enim corporeum & incorporeum, qua ſimpliciter talia, oppoſitorum rationem habere videantur; ex eo nempe, quod τὸ incorporeum, nullo poſitivo conceptu, vel mente comprehendi, vel quantumcunque deſcribi, imo ne ſolum quidem adumbrari, posſit: Sed ſimpliciter negativis remotionibus omnium affectionum τȣ̃ corporei, revera ita in nihilum redigatur, ut nequidem exiſtentia ejus, nedum eſſentia, humanæ menti rationabiliter ſiſti aut offerri posſit:

Monſtrat interim vera animadverſio atque æſtimatio illarum rerum, de quibus hic eſt ſermo, quod illæ nequaquam ſimpliciter ad oppoſitorum, ſed ſolum disparatorum, cenſum, referri debeant; idque tanto magis, quia manifeſto ad prædicamentum relationis pertinent: eousque, ut omnino non posſint ſine ſe mutuo exiſtere, nedum perſiſtere. Corpus, inquam, quatenus organice, ordinate & exquiſite ad fines, movendum; & Motor, actum illum, qui motus (corporalis, ſeu corpori inductus,) dicitur, exercens, atque regens & dirigens.

Tam parum itaque, quam Agens & Patiens ſimpliciter oppoſita dici poſſunt; ex eo, quod in ſe, ſeparatim, æſtimata, plane diſparatas habeant rationes: ſed potius, reciproca relatione, ita inter ſe invicem nectuntur, ut patiens abſolute non posſit eſſe patiens, niſi actu ab agente afficiatur, & contra. Æque parum Motor corporis organici, ex eo, quod non ipſe quoque ſit corpus, dici poteſt oppoſita ratione incorporeus, ut tali intuitu non posſit rationem Agentis habere, in corpus: aut hoc rationem patientis, ab illo Agente.

Unde falſitas adverſæ ſententiæ non fundatur, exquiſite, in locutione illa, quod corporeum, & incorporeum ſint oppoſita; Imo ne quidem in illa, quod oppoſita oppoſitas habeant rationes: Quandoquidem, ſingula horum, ſeorſim, & in ſe ipſis, in ſtatu ſui abſoluto, æſtimata, revera ita conſiderari posſunt.

Sed illa eſt locutio perplexa penitus, imo falſa, quod oppoſita nullum inter ſe invicem habere posſint commercium; nul-

lam

lam relationem; nullam Activitatis, & agilitatis, poteſtatem, ſeu facultatem; & potentiam, ſeu receptivitatem atque habilitatem. Qua nempe ratione tolleretur totum negotium Actionis & Paſſionis; & nullum exiſtere poſſet, utrorumvis, ſive ſubjectum, ſive objectum.

Quamobrem, ab ipſa inde juventute mea, non potui non mirari, quod negotium Motionis non magis diſtincte penſitatum habeatur, & evolutum.

Certe materiatum, ſub conceptu Quantitatis, & quantativæ qualitatis, nempe certæ dimenſionis, mente comprehendi poſſe, ſine omni cogitatione de Motu, facile animadvertebam. Eousque, ut ad concipiendam, dico diſtinctisſime percipiendam eſſentiam corporis, omnino ſufficiat, trina dimenſione circumſcriptum; & ſtabilibus finibus velut incluſum ſpatium, animo complecti. Sed plane non neceſſe ſit, motum hujus corporis vel fingere, vel agnoſcere; dico quatenus corpus eſt.

Imo, ne quidem ulla ejus aptitudo, nedum necesſitas, motum vel adſciſcendi, vel ſolum admittendi, animo comprehendi posſit: Niſi a poſteriori, & in ipſo facto, ſenſibus deprehenderemus, quod hoc omnino fiat: corpus, inquam, tam in ſitu, concentricum, quam in progreſſu, excentricum, locum mutari poſſit: imo, infinitis exemplis, quam maxime ſoleat, et motu varios effectus, tam ſubjective ſubeat, quam objective perficiat; quorum abſolute nihil, ſive in illa, ſive per illam, eveniret, ſi nullo motu actuaretur.

Quibus omnibus reſpectibus, materia quidem agnoſcitur habilis eſſe ad motum iri; ſed nec ipſa habilitatis ratio, & in quo illa verſetur aut fundetur, nihilo magis inde diluceſcit.

Imo æque parum, quamobrem Materia, in ſe, & propter ſeipſam, moveri debeat; aut quemnam uſum illa ipſa inde habere debeat, aut posſit: Sed quod potius materia nunquam moveatur, ſeu Motu afficiatur, niſi propter res extra ipſam, Fines: nec ipſos quoque adhuc exiſtentes, ſed futuros demum, Effectus.

E qua tamen contemplatione illud agnoſci poteſt, quod, quemadmodum illud, propter quod Materia motus actum ſubit atque patitur, eſt extra ipſam motu affectam materiam: Ita quoque totum illud, quod movet, & actus, quem in materia exercet,

pari-

pariter ſit aliquid, ipſi eſſentiæ materiæ externum, extraneum, adventitium.

Adeoque, in ſolida rei veritate, reſpectu ipſius materiæ, in quam immediate & primo agit, poſſet fieri aut non fieri, abeſſe ab ipſa, vel adeſſe, ſine ulla eſſentiali neceſſitate, materiam ipſam concernente.

Interim, cum hæc conſideratio Motus, materiæ extrinſecus ſupervenientis, & ad externos fines reſpicientis, pepererit ſententiam illam, quod Motus ſit accidens; quod etiam, intuitu illius materiæ, quam immediate actuat, per dicta, omnino verum eſt; inauſpicato inde pullulavit, imo immaturo plane partu erupit fictio illa, quod Motus, ſimpliciter & abſolute, ſit purum putum accidens: Nihil, inquam, neque efficienter, neque immanenter (dum agit, aut agitur,) vere exiſtens. Sed, ut proinde diſerte Exceptiones ſubſequentes eloquuntur, plane nunquam exiſtens.

Id quod tanto magis paralogon haberi debet, quia non ſolum Motus, ut actus, præſupponit Agens, ſeu Motorem activum; ſed etiam ipſo hoc actu, non ſolum potentiſſime, ſed etiam diverſiſſime, innumerabiles fiunt mutationes; ſi non eſſentialiter, in ipſis materiis, ſecundum illarum intimas conditiones eſſentiales, tamen in materias, ſecundum ſitum, & locum: Quæ nempe duæ circumſtantiæ, ſimiliter, ſunt aliquid, ab eſſentiali conditione materiæ diſtinctum, eique externum.

Cum autem omnino hinc elucescat, quod actus motus non ſolum reſpiciat aliquid, extra ipſam materiam, cui inducitur, ut per ipſam, tanquam nudum inſtrumentum, finis aliquis obtineatur; adeoque aliquid, ipſi illi materiæ externum: Sed etiam fiat ab Agente, quod ſimiliter non ſit ipſa illa materia, ſed aliquid ab illa diverſum: etiam ipſo illo tempore, quo in illam immediate, & per illam mediate, agit: Paralogon certe appellare, jus faſque duco, decretum tale: Quod neque Motor ipſe, neque Motus, ſit aliquid revera per ſe exiſtens. Et Motor quidem, etiam dum nihil agit; Motus vero, dum actu fit & patratur.

De Motore dico, etiam dum nihil agit. Quis enim ab Ente, quantumcunque activo, id eſt, agendi poteſtatem habente, abſolute exigat, ut ſemper agat; aut ad minimum, ut ſemper eminenter agat, & omnem ſuam vim oſtendat. Cum enim perpetuæ veritatis ſit, quod τὸ magis aut minus non varient ſpeciem:

Certe

Certe etiam minus, imo minimum, (nempe ad craſſiorem noſtrum ſenſum,) agere, non excludit poteſtatem agendi, in genere: Neque detrahit etiam gradui activitatis, ut alias fortius, alias languidius, exerceatur actio. Eousque, ut etiam quies, immanente ſimplici contentione motus activi, fieri poſſit: quale quid facile eſt experiri, quando aliquis chordam, una ſui extremitate alicubi alligatam, altero extremo arreptam, ita tendere ſuſcipit, ut certum aliquem ſonum, præcipue acutiorem, non ſolum exhibeat pulſata: ſed etiam eundem illum ſoni gradum diutius æqualem ſervet. Ibi enim, licet chorda, in illo gradu tenſionis perſiſtens, quieſcere videatur; & ipſa manus tendentis, tanto certius ſi plus minus exquiſite æqualis tenor atque gradus tenſionis perſiſtere debeat, quieſcere videri poſſit, certe minime motitari: Sentiet tamen ipſe tenſionem hanc conſervans, quod non ſolum actus ipſe, ſed tanto magis æqualitas illa tenſionis, quæ utrinque quieti analoga apparet, ipſum certiſſime fatiget, & Motus certus ſit gradus, tanto fortioris, quanto acrius tenſa ſeu contenta teneri debet chorda. Unde quidem etiam, quicunque paulo acutius contemplantur, merito in dubium adducunt, an ulla detur abſoluta quies; nempe eo ipſo agnoſcentes, quod omnis, quæ nobis, craſſiore ſenſuali obtutu, apparet quies, nihil aliud ſit, quam gradus remiſſior motus perennantis, ſeu tantisper immanentis, inter circumſtantium, varie motorum corporum concurſum.

Nulla itaque vis ineſt ſpeculationi illi, quæ eſſentiam Motus ponit in continuatione inceſſabili; quamvis enim de actu ipſo admitti poſſet, dum utique motus, & ceſſatio, ſeu quies perfecta, ſunt contraria, adeoque motus, dum ceſſat, non amplius eſt: Dum autem motus, hoc ſenſu ſumtus, eſt actus, fiens ab Agente, poteſtatis hujus, imo facultatis, compote, & vera Energia, ſeu propria poteſtate atque vi prædito; Materiam vero, actione Motus, non ſolum ſimpliciter active, ſed etiam potenter, afficiente: Hoc ipſum quoque Ens activum, Motorium, inceſſabili actioni ſimpliciter & abſolute alligare velle, vanus omnino eſſet conatus. Cum penitus ſufficiat, poteſtatem inſitam habere, atque conſervare, quæ nulla neceſſitate, indeſinenter in actum deduci & perenni actione exerceri debet.

Unde recte quidem Exceptiones, actum Motus, a cauſa ſua, nempe

ipſo

ipſo principio, energiæ motoriæ compote, diſtinguunt: Fruſtra vero mihi tribuunt, quaſi ego alio ſenſu vocem Motus promiſcue uſurpem: Cum ſæpius allegata diſcretio, Motus Activi, Principii Motorii, Agentis; & motus effectivi, actus motus, tanquam effectus illius principii, conſiderandi, adeo extra culpam hanc me ponit, ut potius ſolus contextus, in qualibet materia ſubſtrata, ubi mentio Motus fit, affatim oſtenſurus ſit, me nusquam temere Principium illud activum cum ipſo ſuo actu ſeu proprio effectu confundere conſueviſſe. A qua ἀκυρολογία, an dubitationes æque, atque pasſim ipſæ exceptiones, liberæ ſint, Lectorum intelligentium liberali judicio relinquo.

Quid autem luculentius ab inſimulatione tali me abſolvere poſſet, quam illatio illa mea, quæ totius hujus diſceptationis tanquam baſis atque fundamentum arrepta eſt. Dum, inquam, ego animam pro ipſo tali principio, facultatis movendi energetiκῶς compote, agnoſco & declaro; ex illa ratione, quia motus, actus, inquam, & effectus, ſit, omni contemplatione atque æſtimatione, aliquid incorporeum: adeoque hoc ipſo liquido teſtetur de indole ſuæ cauſæ efficientis, quod illa quoque ſit aliquid incorporeum. Commendans inſuper omnes etiam reliquas animæ (humanæ) actiones, quæ unanimi conſenſu ipſi tribuuntur, cogitationem, intellectum, comparationem, & ſecundum intellectum fientem voluntatem: appetitum, inquam, ejus, quod intellectu, (vero & completo, vere, aut feſtinato, incompleto, opinabiliter,) bonum judicatum eſt: has, inquam, tranquille conſiderandas, quod illæ ipſæ quoque, generice, motu fiant; nempe tranſitu de re ad rem, & verſatili progreſſu, inter res plures, quod animam comparationis conſtituit: unde non male multiplices illæ contemplationes, quæ diſcurſu tali mentis diſtinguuntur, communi loquendi formula appellantur diverſi reſpectus: dum in rei veritate ipſa mens, diſpiciendo, reſpiciendo, unum habitum ſubſtratæ materiæ cum aliis comparando, adeoque reciproce ab una re ad aliam procedendo, motus quendam actum perpetrat: adeoque hæc quoque ſua propria negotia, generice, motu ita agit, ut nunquam, ſpecifice, determinationes ullas impetrare posſit, niſi motu illo inter varia objecta diſcurſandi.

Cum itaque anima, etiam propria ſua negotia, motu ita gerat, ut ille prima ſit & generalis ejus poteſtas, quam reliquæ demum, ulteriore progreſſu, ſequuntur; Crasſiores autem illi, & fortiores motus, qui corpori, quamvis per minutisſima, inducuntur, ſequantur, 1) perceptiones ſenſuales; 2) dijudicationes harum intellectuales, ſecundum reſpectus, neceſſarii, utilis, jucundi, boni; aut contra, adverſi, mali: 3) Voluntatem, tales res vel admovendi, vel amovendi, per motus, tam Vitales, quam Voluntarios: 4) innumeris autem caſibus, promptisſime, & fortisſime, ſequantur, etiam perverſas, inordinatas, imo nuda fictione, falſo ficta æſtimatione, efformatas ideas, nihil phyſice veri & realis usquam præ ſe habentes: Quod in animi pathematibus quotidianum eſt, in pulſu (a terrore, ira, timore, mœrore, fortibus deſideriis, &c.) motu ventriculi & inteſtinorum, (a nauſea vomibunda, aut cathartica, e ſola ſæpe narratione, recordatione, adſpectu, odore, opinione, purgantis

gantis effectus &c.) tono vitali, (erubeſcendo, tremendo; ſyncope, convulſionibus, a terrore, &c.) imo nævis usque maternis, (nempe idea configurationis, a matris mente, nuda ratione ratiocinante, falſo æſtimatæ: qualem ideam pure mentalem par Ens in fœtu, nempe anima, ſola nudarum mentalium idearum capax, accipiens, dum eo tempore ſtructuræ ſui corporis primario intenta eſt, hanc, juxta oblatam talem ideam, fabricatur:)

Ex his, inquam, & parallelis, atque collateralibus, animæ motoriis directionibus atque determinationibus, planisſimo progreſſu procedere agnoſco ſequelam: Quod ipſa Anima habeat & exerceat facultatem, etiam corpus ſuum motibus afficiendi, eosque ordinate, proportionate, ſcite atque congrue, ad rem adhuc demum futuram, nempe fines, corporis conſervationi utiles vel judicatos, vel ad minimum creditos, proſequendi.

Ubi nempe iterum antiqua, diverſa opinantium eſt perplexitas; quando animæ Motus ipſos, ſeu poteſtatem movendi, denegant; Directionem tamen tribuunt: nempe eſſentialium, & ab eſſentia inſeparabilium Motus effectionum; gradus, ordinis, proportionis ad finem, temporis inchoandi, continuandi, deſinendi: inductionis in propria (fini convenienter ſervientia,) organa. In quæ, omnia & ſingula, imo collectim omnia ſeu univerſa, eſſentialia attributa Motus, animæ poteſtatem concedere, in Motum ipſum autem denegare, quid quæſo eſt, ſi non perplexum eſt, imo κϱισφύγετον, & incomprehenſibile?

Placuit hæc, licet prolixe, tamen uno conſpectui denuo offerre, ut primo loco dilucescat, contra qualem meam ſententiam dubia inſurrexerint.

Subjiciam, forte tanto magis ſuccincte, opiniones, contraria ſententia, adverſus meam, connitentes.

Omnia totius univerſi Corpora, etiam diviſione actuali in infinitum minima, habere concreatum, inſeparabiliter inſitum, immanenter inhærentem, Motum.

Motum, inquam; nam ita, præter unum, quod ſciam, Dn. Autorem dubitationum, non loquuntur ſolum omnes; ſed ſentiunt omnino ita: Dum motum illum pro puro puto accidente, nullam propriam exiſtentiam (ita enim loquuntur minus compotes diſcretionum) aut certe eſſentiam, habente, pro puro puto modo materiæ, & qui modus tamen ſit de eſſentia materiæ, (quatenus finita, ſeu diviſa, Corpus vocant, eſt,) intelligi & haberi volunt.

Hunc Motum primordiali, ipſius Creationis, inſtitutione ita diſpoſitum, & quaſi inſtinctu univerſali inſtructum eſſe fingunt, ut ſolis appetitibus animæ, mentalibus, inquam, ideis, & voluntatis, prorſus immaterialis, deſtinatibus promptisſime obſequatur, easque ita exequatur, ut non ſolum finis ipſo effectu in res corporeas impetretur; ſed etiam totus actus, ea directione Motus, in materia inhærentis, inſtruatur, gubernetur, qualis, exquiſita proportione, finis illius, adhuc futuri, indoli quadrat. Quamvis enim etiam hoc loco appetitibus illis animæ omnia, primo & primario, dirigentibus aliquid adſcribi poſſet; claudicat tamen mox ſimilitudo, in confuſisſima illa explicatione, ſecundum hanc hypotheſin, Senſationum; & motuum vitalium, qui ſine ulla conſcientia Animæ fieri traduntur, adeoque appetitibus illius tanto minus obſequi poſſunt, quia anima, harum re-

 rum

rum (per hanc hypotheſin,) tota ignara, nihil, huc directe pertinens, appetere poteſt: quandoquidem ignoti nulla cupido eſt.

Manet interim, in hac poſtrema parte, mire impeditum, latisſime patens illud negotium, præſentisſimæ, & profundisſimæ, poteſtatis animæ in Vitalia præcipua negotia Motoria, per nuda Phantaſtica, fictitia, falſo - æſtimatoria Pathemata animi. Quæ quidem Entia rationis non ſolum ſimpliciter, ſed etiam falſo & fictitie, ratiocinantis, quomodo Motus e materiæ (proprio exquiſitisſime deſtinato) motu inſtructæ, non ſolum divertere, ſed prorſus in contrarium pervertere posſint: nempe in peſſimam perturbationem, aut plane everſionem, actuum, conſervationi corporis debitorum, contemplatio eſt, ex illis hypotheſibus, quantum ego usquam perſpicere valeam, inextricabile.

Cum enim Motus illi, ipſi corpori inſiti, proprie & directe ad conſervationem Corporis inſtituti atque deſtinati ſint; Cum quibus, imo cum tota conſervatione ipſa, Anima nihil commune habere ſupponitur: Nec tamen etiam Anima damnum & deſtructionem corporis, nec immediate, neque mediate ſolum, appetit; Inextricabile certe manet factum ipſum, quomodo, inquam, ex præcipiti inconſulta idea, (quales pathematibus animi adeo indiſtincte formantur, ut homo ipſe non recordetur, ſe quidquam tale, quale potenter ſequitur, vel cogitare, vel velle ſeu appetere,) non ſolum tam prompti atque potentes motus ſequantur, a tranquilla adminiſtratione vitali longisſime recedentes: Sed etiam ne cogitando quidem, nedum appetendo, ab anima deſtinati, v. g. Syncope, pallor, frigus, tremor a terrore; nauſea, ad gravisſimos usque conatus vomendi, a falſo imaginata, memorata, aut recordatione præfigurata, materia, non tam fœda, quam ſolum adverſa facta, cum omnium reliquorum hominum conſenſu, bona ſit, imo appetenda. Palpitationes cordis, ſudores anxii, anhela reſpiratio, pulſus varius, a timore, quorum nihil nec appetit anima, neque ſolum directe agnoſcit, aut commeminit. &c. &c.

Nunc autem demum ſequitur Dn. Autoris Dubitantis peculiaris ſententia.

Cum prolixe, in ipſis Dubitationibus, impetiiſſet illam meam ſententiam, quod Anima ipſa, tanquam incorporea, posſit patrare actum Motus, tanquam ſimiliter incorporeum; In Exceptionibus non conſentit ſolum, ſed edicit prorſus, conſtituit, atque ſancit; 1) quod non tam Motus ipſe, in materiam inſitus atque inditus, ſed Motor, ſeu principium quoddam, primo, & per ſe, activum exiſtat, quod actum præſtet, quem Motum dicimus. 2) Quod Monas talis principii, inſeparabiliter addita, indita, & inſita ſit omnibus & ſingulis (quamquam monadas corporeas neget,) corporibus naturalibus, in infinitum (exiguis ſeu) diviſis. 3) Quod corpus, quodlibet & quantumlibet, ab hoc motore inſito, eiusque actu, ita actuetur, ut ſit organicum, ad innumeros actus (aggregative quoque) Organicos perpetrandos. 4) Neque hoc ſolum, ſed etiam ſub obſequio, animæ ſimplicibus idealibus appetitibus, obſequium promtisſimum exhibendi.

5) Interim tamen, hoc ipſum principium Motorium, Motor, inquam, cujus actus ſolum, & directe immediatus effectus ſit Motus; hoc ipſum, inquam, principium non ſit accidens aliquod nudum, nullam veram hypoſtaticam exiſtentiam habens: ſed omnino ſit Ens quoddam, vere & realiter exiſtens. 2) Imo in comparatione,

ne, dignius ipſa materia; Actionis omnis, in materia, & per materiam, fons & fundus: cum e contra Materia, in hac ſocietate, ſit pars mere paſſiva.

6) Tandem autem, ex inſperato, pandit totam ſcenam, edicendo, quod hoc Agens, infiniti, inquam, numeri, Monades, ſint Entia incorporea; in corpore habitantia, eique inſeparabili nexu unita: & illud actu illo, quem Motum vocamus, afficientia: per quem corpora illa fiant Organa, ad innumeros effectus perpetrandos, &c.

Hæc, & ante omnia hanc ultimam declarationem, quod Cauſa efficiens Motus ſit Ens incorporeum; effectum tamen ſuum, Motum, in corpus exercens, & per corpus agens: Si quis meæ ſententiæ adverſa agnoſcere poterit, qua ego aſſevero, quod Cauſa motus debeat eſſe incorporeum quiddam; & tamen Corpori poſſit motum inducere; & per hunc corpus agitare, & per corpus, quatenus motu agitatum, alia Corpora diverſimode afficere: Habeat me ſibi, & totam litem, contra me, judicatam.

Quando vero hoc, diverſitatem, inquam, nedum adverſitatem, hujus ſententiæ, de cauſa Motus, neceſſario incorporea, ibi reperire non valet; ſed potius planum atque plenum conſenſum: Advertere porro animum poterit ad alias Dn. Autoris poſitiones, huc eodem pertinentes.

Nempe, 1) quod, licet in Exceptionibus, alleg. no. XXII. Motorem activum ipſe quoque agnoſcat eſſe debere Ens incorporeum; & hoc ipſo tollat uſitatam illam objectionem, contra Motoriam Energiam animæ ipſius allegari ſolitam, quaſi immateriale, incorporeum, nihil omnino poteſtatis habere poſſit in rem corpoream: Tamen perpetuo inſiſtat atque inhæreat aſſertioni, quod animæ nihil aliud competat, quam ſimpliciter intelligere, (cogitare, contemplari,) & velle, appetere, eligere, &c. Non autem movere: cujus tamen negationis, ſi nullam rationem afferre poſſit, quamobrem anima non capax ſit talis poteſtatis; ſimplex aſſeveratio locum invenire non poteſt.

2) Potius autem ſatis palam eſt, quod aſſertio hæc ſimpliciter fundetur ſuper altera, ipſi cum ita ſeſe appellantibus Mechanicis, ſeu Mechanicæ Philoſophiæ ſectatoribus, communi: Nempe, quod omnia corpora minima hujus Univerſi habeant jamjam inſitum proprium Motorem. Quo præjudicio mordicus retento nulli uſui eſſe videtur, animæ, totius Corporis hoſpiti, energiam Motoriam aſſignare. Quia Corpus jam ſponte facere poſſit, imo facturum ſit, (uti diſerte loquitur,) quicquid anima appetitu ſuo, tanquam ipſi proprio actu, deſignat aut deſiderat.

3) Prudentis, & recte diſcernendi compotis, Lectoris judicio relinquo, quem conceptum, formatum, aut formandum, in univerſis Dubitationum ſtrophis reperire liceat, de Corporum minimorum ſingulorum relatione, atque efficaci concurſu ad aggregati alicujus, ad peculiares uſus organicos ordinate ſtructi, directos ultimos uſus & inſtrumentales effectus. Ut res exemplo illuſtretur, in cultro, forfice, acu &c. ſingulæ illæ minimæ particulæ ferri aut chalybis, e quibus tale inſtrumentum, materialiter, conſtat, concurrunt utique ad uſum & inſtrumentalem effectum talis machinæ: ſed non niſi generaliſſime, nempe quatenus aggregationem formant denſam, duram, & tamen in aciem eximiam atteri aptam; Imo exercitum u-

 ſus,

ſus, (ſciſſorii, ſectorii, punctorii,) diutius tolerantem, ſed ſolum per denſam & bene firmatam duritiem. Interim, in ſpecie, nedum ſpecialisſime, ad proprie inſtrumentalem conformationem, ſeu ſtructuram formaliter inſtrumentalem, cujuscunque talis machinæ organicæ, adeo nihil faciunt, ut prorſus indifferenter ſe habeant ad τὸ fieri talem machinam, aut non fieri: Ut, inquam, omnes atque ſingulæ illæ minimæ particulæ, quæ forficem, majorem aut minorem, conſtituunt, nec a priori, proprie deſtinatæ fuerint, ut potius ex ipſis, quam ex aliis ejusdem ſpeciei, hic forfex fieri debuerit: Neque, dum utique factus eſt, aliud quicquam ad ejus directos uſus conferant, præter nudam, maſſæ ferreæ aut chalybeæ, habilitatem, ut in talem conformationem externam deduci posſit, & diutius uſui ſervire. Cum utique etiam e quolibet alio metallo, magis aut minus, duro, argento, cupro, & adhuc rigidiore orichalco, forfex, culter, acus, fabrefieri posſit, in hac ſpecie, perfecte verus, nempe ſecandi, ſcindendi, pungendi & perforandi compos; licet non tam diu durans: interim magis & minus non variat ſpeciem, & vel ſemel facta ſcisſio, ſectio, punctura, abſolvit perfectionem inſtrumenti: ſicut etiam proportio ſubjecti ſcindendi circumſcribit utique efficaciam ſpecialis uſus organi, interim formalem uſum nequaquam: Dum v. g. culter e ligno quoque formatus, ſi modo Butyrum diſſecat, non minus perfectus eſt culter, quam Chalybeus induratus, qui alium chalybem, remollitum, in tenerioris limæ conformationem deducit. Ut de cultris, gladiis, haſtilibus, ſecuribus, malleis, cuneis &c. antiquisſimorum æque, atque propiorum (Americanorum) mortalium, e cupro, imo lapide duriore, fabrefactis, & piſcium ſpinis, atque dentibus, in uſum ſagittalem deductis, nihil dicam.

Qualia omnia atque ſingula, quomodo cum æterna deſtinatione, ad attingendum & exequendum ultimum illum finem, ut hæ particulæ, quæ hunc cultrum, hoc ſagittæ ſpiculum, nunc conſtituunt, abſolute factæ atque deſtinatæ ſint, ut hunc uſum, præ aliis ejusdem ſpeciei innumerabilibus, necesſitate Harmoniæ præſtabilitæ, & divinæ directionis ad vltimos fines actuales, non potuerint non aſſequi; & an hoc abſolute credere, aut ſecus Providentiam in dubium vocare, neceſſe ſit: Grammatici certent, ego ἀπέχω.

Hæc, inquam, ſunt ſumma illa capita Dubitationum, e meis poſitionibus formatarum; quarum proinde hunc conſpectum, thetice, atque hypothetice, ſiſtere placuit. Reliquæ παρέκβασες, ad diſtrahendum potius, quam disquirendum, (forte magis pasſive, quam active,) interlapſæ, quæ fata habeant, ſive e nervo propoſitionis, ſive reſponſionis, Lector ſagax diſcernet.

Hæc de ipſis præcedentibus Dubitationibus. Exceptiones ſubſequentes, longo tempore, niſi memoria me fallit, vel ſesqui anno, poſt formatas dubitationes, & exhibitas reſponſiones transmiſit Dominus Autor. Has cum perlegiſſem, & in illis nihil ad præcipuum negotii cardinem pertinens, ſed carptim ſolum varia potius, quam potiora, vellicata, obſervarem: bonarum conſequentiarum autem ordinem pasſim ſusque deque habitum: tandem vero proprias opiniones, No. XXI. & XXII. ita prolatas, ut ratas fore, aut certe haberi debere, Dn. Autor ſibi promitteret: his omnibus, inquam, ἀταξίαις, per motus ſuſpicari, quod omnis ulterior remonſtratio tam parum, quam ulla prægreſſarum, effectura foret, tempus & chartam his rebus impendere, non imme-

immerito faſtidivi. Imo, cum modo nominatis Membris Dominus Autor Domitianam illam quæſtionem, an Anima humana, quia immaterialis, compos eſſe posſit, Motum in ſuum corpus exercendi; diſerta poſitiva confesſione, imo profesſione, quod in univerſum omnia & ſingula illa activa principia, quæ motum, active inquam, in infinitum innumerabilibus corporibus, ut ſingulis, immanenter & emananter, conciliare ſupponuntur; brevibus, omne principium active movens omnino ſit incorporeum: hac, inquam, ipſius Dni Autoris ſententia, tota illa quæſtio, de incorporeæ animæ motoria poteſtate in corpus, poſitive affirmaretur potius, quam ſolum confirmaretur; verum apicem diſſenſus aboleret: tanto ſecurius ulteriore diſceptatione ſuperſedi. Cum autem ante annuum forte tempus fautores aliqui & amici, rerum harum, uti geſtæ erant, gnari, non inconſultum judicarent, diſceptationes has in publicum emittere: neceſſarium duxi, etiam exceptiones has quadantenus colluſtrare & enucleare, quid in illis ſolidi prolatum ſit, quod vel meis aſſertis infringendis, vel priſtinis dubitationibus confirmandis, ſufficere poſſe videri queat. Sicut autem ego certe primus agnoſco, nedum conſentio, quod tam tota hæc diſceptatio, quam methodus in ipſa obſervata, nihil eximii momenti ad totam ſolidarum ſcientiarum illuſtrationem adferre, cenſeri posſit: ita nolui etiam exquiſitiorem ordinem inſtruere, ad quem univerſa hæc diſputatio reduci poſſet. Reliqui potius omnia, uti ſcripta fuerunt; ne qua forte, imprimis Dni Autoris monitis & aſſertis, quidquam adjeciſſe vel ademiſſe inſimulari queam. Sunt itaque, ad ipſam literam, exceptiones Dni Autoris ſequentes.

Ad I.

(1) Aſſertio erat, alia in ſyſtemate rerum naturalium fieri ſecundum finem, alia caſu. *Animadverſio* ſtatuit, caſum non niſi ignorantia noſtra locum habere, cum omnia revera ad finem dirigantur. *Reſponſio* agnoſcit has duas ſententias e diametro opponi, ſed petit objectionis afferri rationem. Ea vero jam allata fuerat, ſupponendo, omnia, quæ *FIUNT*, a Deo oriri AUT CERTE gubernari, Deum autem, cum ſit ſapientisſimus, omnia in finem *dirigere*. Nec video, quomodo contrarium cum providentia divina, omnia complexa, atque adeo cum Theologia non ſolum revelata, ſed etiam naturali conciliari posſit, niſi aliter explicetur quam verba ſonant. (2) Aſſertio potius paradoxi ſui rationem reddere debebat, ea autem in *Reſponſione* aut nulla, aut admodum debilis affertur. *Prima* hæc eſſe videtur, quod conſideratio iſta inſerviat ad melius diſtinguenda organica a mechanicis. Sed conſiderandi commoditas non eſt argumentum. Deinde etſi in organicis finis ſit manifeſtior, non tamen ſequitur, in ceteris eſſe nullum; cum fieri posſit, (immo ex ſuppoſita providentia abſolutisſima debeat) ut organicæ nihil aliud ſint quam machinæ, ubi divina inventio & intentio magis expreſſa eſt. (3) *Secundam* rationem hanc invenio, quod hinc ſequatur, minima quæque, velut motum pulviſculi a vento agitati, certo cauſarum ordine ab æterno a Deo deſtinatum eſſe, ut fiat, & ad effectum certum inſerviat. Verum hoc non eſt rationem affer. e, ſed negare, quod eſt in quæſtione. (4) Qui providentiam in Deo perfectisſimam agnoſcunt, admittunt, nihil eam latere aut eius directionem ſubterfugere. Eiusque ſententiæ optimas rationes habent, non tantum ex revelatione, quia etiam capillos noſtros numeratos Chriſtus dixit, ſed etiam ex ratione, nam *primo* ſi minora iſta a Deo non dirigerentur in finem, etiam majora eius directioni ſubtraherentur, exempli cauſa, lapillus aliquis tormento pyrio ſuppoſitus, mutare ejus directionem poſſet, & efficere, ut Rex aliquis vel Dux exercitus feriatur, unde maximæ mutationes conſequi poſſunt. (5) *Secundo* nulla eſt maſſa tam rudis, aut tam parva, quæ non in ſe contineat aliquod corpus organicum, ſeu machinam naturæ, quia nihil eſt, in quo non impreſſa ſint divinæ ſapientiæ veſtigia, itaque ubique etiam fines Phyſici locum habent. (6) Interim concedimus, magnum eſſe diſcrimen inter machinas & aggregata maſſasque, quod machinæ fines & effectus habent vi ſuæ ſtructuræ, at aggregatorum fines & effectus oriuntur ex ſerie rerum concurrentium, atque adeo ex diverſarum machinarum occurſu, qui etſi etiam ſequatur divi-

nam

nam deſtinationem, plus tamen minusque manifeſtæ coordinationis habet; ita Bombycis finis opusque initium eſt, ut ſericum producat; ſed ut alium Bombycem gignat, opus eſt congreſſu maris & fœminæ, atque adeo combinatione unius animalis cum alia re externa; ſed hæc tamen combinatio plus habet coordinationis manifeſtæ, & illuſtrius eſt iudicium divinæ ſapientiæ, argumentumque divinitatis, quam ea, quæ facit, ut ſericum transeat in veſtem hominis, etſi hoc quoque divinæ providentiæ conſentaneum eſſe negari non poſſit. Interim nec opus maxime intimum, velut ſerici productio, obtineretur, niſi externa accederent, velut calor ſolis, nutritio ex foliis mori, aliaque id genus. Memini Auzoutum Gallum, virum non vulgaris doctrinæ, inter maxima argumenta *exiſtentiæ Dei* non inepte referre in diverſis ſexibus partium generationi dicatarum conſenſum. In his ſcilicet manifeſtiores ſunt fines. Sed ubi ex talibus providentiam ſemel agnovimus, facile intelligimus, etiam cetera ſuos fines habere.

Ad I. Exceptionem Replicatio.

Cum de *phyſicis*, nempe *corporeis*, rebus, ut in toto meo ſcripto, ita etiam in illis lineis, imo verbis, quæ Dn9 Autor arripuit, de meris talibus, nempe corporeis rebus, ſermo eſſet, non ex ambiguis ſpeculationibns, quæ finem non inveniunt, ſed e manifeſta natura rerum, diſtinctionem illam protuli, quod aliæ quidem, quin plane ſpecies, rerum naturalium, fiant veluti *necesſitate* aliqua, ad certum, & prorſus *evidentem finem*; aliæ vero, quantum ulla phyſica *ſcientia* capit, *Caſu*: Dn9 Autor hanc vocem *caſus* ita ſtrictiſſime interpretabatur, ut non ſolum *revelatæ*, ſed prorſus *naturali*, Divinitatis agnitioni aliquod detrimentum inde impenderet: monebat itaque, debere potius ſupponi, quod omnia, quæ fiunt, a Deo oriantur, aut certe gubernentur, & omnia in *finem* dirigantur. Quomodo theſin meam, *diſtinctionem* inquam eorum, quæ *fiunt necesſitate* totius ſuæ ſpeciei, & contra; nulla conſpicua necesſitate, veluti *contingunt*, prolixe explicuerim; adverſæ vero ſententiæ improbabilitatem, circa res etiam omnino *frivolas*, inſtantia una vel altera tentaverim; imo tandem diſtinctionem inter ea, quæ facta ſunt *ad fines*, ut illis inſervire posſint; & *directe propter* fines, ut illos omnino aſſequi debeant: hæc omnia, inquam, etiam inſolita mihi alioquin prolixitate, declaraverim, oſtendunt Reſponſiones Dubitationibus ſubjunctæ. Hic utique, allatis illis inſtantiis, ſatis probatum haberi poſſe crediderain, quod non omnia, ſtrictiſſimo vocis ſenſu, abſolute ad *omnes* illos fines, quos aſſequuntur, *dirigi* agnoſci poſſint: cum alias non ſolum in variis abuſibus rerum naturalium, tam in genere, quam in ſpecie, odioſisſimæ conſequentiæ reſultent: ſed etiam in rebus adhuc indifferentibus, varia, imo innumera, hujus ejusdem cenſus, obverſentur, quæ veram & proprie dictam *directionem* ad illos eventus habere, imo vero ab ipſa divinitate, per omnes intermedias cauſas, ad tales fines *dirigi*, vix credi poſſint, aliqua vero etiam ne quidem credi debeant: omnia hæc, inquam, cum tam prolixe memoraverim, negatur me aliquid in reſponſione probaſſe. Dicitur porro: videri, quod mea ratio allegetur illa, quod talis conſideratio inſerviat ad melius diſtinguenda organica a mechanicis: Sed ubi hoc habetur in meo ſcripto? Quod enim lit. A. No. 3. dico; eo maxime facere, &c. non ut argumentum, nedum unicum, a me proferri, res ipſa monſtrat: unde potius præſens argumentatio eſt nulla. Eodem loco habenda eſt altera ſuppoſitio: quod fieri poſſit, ut *organica* nihil aliud ſint, niſi *machinæ divinæ*. Præterquam enim, quod hic *machina* & *organum* inverſo ordine allegantur, & potius dicendum fuiſſet, corpora, quatenus *mechanica* ſunt, poſſe ſupponi tanquam *organa* divina: notum tamen eſt, e ſimpliciſſima ratione, quod a *poſſe* ad *eſſe* non valeat conſequentia. Quod tertio loco dicitur, contra allatam a me inſtantiam, de *pulviſculo*, fruſtra negatur rationis plane nullam vim habere: cum potius ita in infinitum fieri deberet progreſſus in omnibus rebus, quarum nulla usquam dari poteſt ratio, cur inquam nulla dari poſſit. Et arguent ſane, qui diſputandi regulas memoriter ſciunt, quod Dominus Autor affirmationem ſuam nulla probatione ſtabilire cordi habuerit: a me vero negationis prolixas rationes poſtulet. Unde iterum, quod No. 4to aſſertur, primis lineis rhetoricum magis eſt, quam logicum. Quod autem de *lapillo tormentario* dicitur; in quo quæſo attingit, nedum ferit meam theſin, in controverſiam vocatam? Quæ enim conſequentia ab illis, quæ, uti fiunt, caſu fiunt, ad mutationem *directionis*, in illis, quæ *cum directione* fiunt? Tantundem autem abeſt a rationibus allegandis illud, quod No. 5. dicitur: quod nulla maſſa ſit tam rudis aut tam parva, in qua non inſit aliquod corpus organicum. Nempe ſatis dilucescit, quod etiam hæ exceptiones, tanquam aliud agendo, ſcriptæ ſint. Quid enim de uno aliquo corpore, in quantulacunque etiam maſſa, loqui attineret

ret; cum, ſecundum fundum diſceptationis, & præcipue ex mente Dni Autoris, non *unum* aliquod corpus, in quantalibet maſſa, ſed omnino *ſingula* quælibet, etiam per diviſionem illam in infinitum *infinitæ*, ſupponi debebant, uti *mechanica*, ita etiam *organica*. Rhetorica vero iterum eſt huius §. obſignatio; cum ego nusquam negem, quod *fines phyſici* locum ibi habere poſſint ratione *aptitudinis*: bene vero ratione *numericæ*, non ſolum *deſtinationis*, ſed etiam *directionis* ſeu *deductionis* in ipſum effectum. Ad ſextum autem numerum, ut certe adhuc minus, ſive ſtrictum, ſive ſtringentem, non eſt, cur aliquid reponatur. Sufficit, *providentiam Divinam* a ſerico, quatenus in veſtem texitur, nedum in quamlibet, cuilibet uſui aptatam, etiam hic non nihil diſtingui ſeu diſtineri. Quæ tamen juxta *nervum* diſceptationis, inde ab omnibus minimis, ab ipſo mundo condito, & per omnia minima in infinitum, quotquot ad totam veſtem requiruntur, *perpetua directione* ad illam veſtem conſtituendam, perducta eſſe credi debeant, niſi tam revelatæ, quam naturali Theologiæ periculum creetur. Illud autem de argumento, inter maxima, de *Exiſtentia* plane Dei, e conſenſu partium generationi dicatarum in diuerſis ſexibus: ego pro maximo argumento reputarem, pauperrimæ certe ſpeculationis: quæ non innumera nimio majora argumenta hujus veritatis aſſequatur: ipſius inquam omnino *exiſtentiæ*. Interim breviſſime monere ſuffecerit, quod prudens quisque ſponte animadvertet, oppido quam diligenter abſtinuiſſe has exceptiones, a præcipuis prolatorum dubiorum reſolutionibus, a me adductis, iterum attingendas.

Ad II.

Fatetur *Reſponſio* omne organum eſſe machinam, ait etiam omnem organiſmum niti mechaniſmo ſeu præſupponere mechaniſmum. Sed hoc non eſt ſatis, addi enim debet, organiſmum nihil aliud eſſe formaliter, quam mechaniſmum, etſi exquiſitiorem & diviniorem, quia omnia in natura fieri debent mechanice. Cuius ratio dudum allata fuit in diſcurſu obiectionibus addito, quia omnia debent ita fieri in

corporibus, ut poſſibile ſit ex ea natura corporum, id eſt ex magnitudine, figura & legibus motus diſtinctè explicari, & hoc eſt, quod mechanicum appellamus.

Ad II. Exceptionem Replicatio.

Quamvis hæc non tam converſio, quam *inverſio* rerum, quæ per voces, *machina* & *organum*, denotantur, non mereatur novam prolixitatem; dicetur tamen adhuc aliquid in ſequentibus. Ad illud autem, quomodo Dn9 Autor *τὸ mechanicum* deſcribit, omnino notari meretur, quod *τὸ mechanicum* omnino quidem involvat *magnitudinem*, *figuram* & *leges motus:* ſed ultimum hoc vocabulum, *leges motus*, nimium *generale* & revera *perplexum* ſit, ad veram rei naturam exprimendam. Cum enim *habitus* ad *motum* omnino *duplex* ſit; nempe vel *activus*, ſeu *poteſtas ad agendum*, & præſtandum *actum* motus; vel *pasſivus*, *potentia* ad *motum iri*, ſeu *ſubeundum* motum: Vertitur omnino totus cardo perplexæ illius altercationis modernorum *mechaniſmi* anteſignanorum, in huius *differentiæ* neglectu. Dum videlicet aliud utique eſt, *movere* poſſe, aliud *moveri* poſſe. Et, licet *magnitudo* & *figura*, energiam *motus* quadantenus circumſcribere & limitare poſſint; imprimis in motu *ſocio*, ſeu inter varia *contigua* diverſimode *mota:* ſunt tamen omnino exquiſitisſime conſiderandæ *duæ* conditiones, negotium motus, & qualemcunque conceptum de illo hinc inde turbantes. *Primo* enim manifeſtum eſt, quemlibet, motum quantumcunque etiam e magnitudinis & figuræ rationibus ſpecificandum, illum tamen *gradum* adhuc liberum retinere, ut vel *tardius*, vel *velocius*, concitari poſſit. Cui difficultati ſanandæ, ut motus nunquam aliter, nec in exceſſu, nec in defectu fiat, quam ejus temporis conditiones poſtulant, figmenta illa in ſubſidium vocanda fuerunt; antiquiorum quidem, ſi res rectè æſtimetur, *appetitus naturalis*, & *γνῶσις:* juniorum autem, *niſus*, *conatus*, *irritatio* & ſimiles næniæ. *Secundo*, vera *æſtimatio* motuum, ab *animatis*, imprimis *animalibus*, quin ſpecialiſſime *homine*, pro *arbitrariis* ſcopis ſeu *finibus* limitandorum. Qui *fines*, cum ſubinde nudis, *moralibus*, *æſtimatoriis*, *intentionibus* innitantur; fit inde

inde nimium quam ſæpiſſime, ut *motus*, ratione *velocitatis* aut *tarditatis*, ſimpliciter ab hujusmodi extraneo *activo* motore inſtruantur atque determinentur: Ad qualem ſpecificam *gubernationem*, etiam omnes leges *mobilitatis* ſpecialioris, pure & ſimpliciter *pasſive* ſeſe habeant, & nihil, reſpectu illius temporis & finis temporarii, adferant aut conferant, præter ſolam *pasſivam habilitatem* & *agilitatem*. Imprimis autem de mechaniſmo, quatenus de corpore dicitur, perpetuo tenendum manet, quod ille hoc ſenſu, nihil aliud, aut amplius ſit, quam purus *habitus*, ad *ſubeundum*, aut *recipiendum active* motorium *impulſum*. Unde, ut rem breviſſimis expediam, totus nervus atque nodus hujus diſceptationis, poſitus eſt in conſtituenda ſede, *Principii active motorii*. Quam cum Ariſtotelici, (licet forte magis ad aſtronomicos motus,) *primo* alicui *motori* ſeu impulſori; Platonici, *animæ mundi*, uni & univerſali: alii, uti ſatis manifeſtum videtur, antiquiſſimi, (certiſſime ante Ariſtotelem, probabiliter etiam ante Platonem,) *Naturæ*, tanquam *principio activo motus* aſſignaverint: interim de reliqua ejus eſſentia, quousque contradiſtincta ſit *materiei* eſſentiæ, non multum prolixi eſſe amaverint: Recentiores noſtri, alia quidem verba, & alias loquendi formulas afferunt, rem ipſam autem, aut diſcretum aliquem conceptum de illa, nihilo magis nusquam expediunt. Eo ſolo excepto, quod *motum ſingulis* corpuſculis naturalibus, *inſeparabiliter inditum* inhærere edicunt. Revera vero ἀκυρολογίαν illam ita committunt, ut *effectum* ſeu actum, a ſuo *efficiente* & agente, non diſcernant. Unde abſona illa commentatio ortum duxit, (a qua etiam noſter Autor ſibi temperare non potuit,) quod *motus* ſit *purum accidens*; nempe, ut apertius noſter infra eloquitur, *plane nihil*: licet alibi, ſed certe non æquo jure, mecum expoſtuletur, quod ego *motum* paſſim appellem, cum potius *motor* nominandus eſſet: quam tamen rem ego certe, coram æquis arbitris facile probavero, ita luculenter paſſim me declaraſſe, & imprimis in ipſis ſuperioribus reſponſionibus, tanquam ex inſtituto, præfiniuiſſe, quam ipſe Dn9 Autor nusquam, niſi tandem propemodum ſub finem præſentium exceptionum,

No. 21. de quo ſtatim. Nempe notum hinc eſt, inane illud litigium, quod ante aliquot ſupra viginti annos, motum eſt, adverſus aſſertionem, quod *principia motus* ſint *ſpiritus.* Ubi quidem manifeſta, imo prorſus evidens, *ignoratio elenchi*, in eo ſita erat, quod aſſertor *ſpirituum*, equidem ſatis notum ſupponebat, quod *motus*, utique non ipſa *materia* eſſe poſſit, licet *cum* materia, etiam *inſeparabiliter*, conjunctus eſſet: adverſantes autem hoc aſſequi non valebant. Vocabat autem aſſertor illud, quod, licet cum materia conjunctum, *actum* motus præſtet, & tamen non ipſa ſit materia, *ſpiritum*; nempe vocabulo unico uſitato, nomenclatura inquam, qua una, res exquiſite *immateriales*, ſalutari conſueverunt. Sed diſplicebat hoc adverſariis; & propemodum dixerim, non ſine omni jure: cum revera dentur res innumeræ, quæ nullatenus ullo intuitu ſunt materiæ, & tamen non ſunt ſpiritus, cujus ingens exemplum ſunt ipſæ tales *ſpeculationes*, neſcias ad quam tribum referendæ: Gallis ad minimum ſuum *ſpirituelles*, non facile elargituris. Cordatius autem certe Dn9 Autor notata jam Exceptione 21. infra, omni modo edicit, quod principium illud *active motorium*, antiquo Ariſtotelis vocabulo, ipſi quoque placente atque adoptato, ἐντελέχεια, ſit omni modo *incorporeum*; & certe proinde etiam *immateriale*; nempe *magnitudinis*, (quatenus *gradui activitatis* contradiſtinguitur,) & *figuræ* expers. Illud autem tam aſſertori *ſpirituum* lites illas conflabat, quam Dominum Autorem implicare poteſt, quod ſpiritus illos, & ἐντελεχίας has numero ita in infinitam, (per infinitam actualem diviſionem corporum,) ſuper-multiplicent, ut odioſiſſima illa *Locabilitas* ſpirituum, entia illa neque materialia, neque ſpiritualia, graviſſime exagitet. Ego, qui ad illam numeroſitatem in infinitum nullam rationem aſſequor, quæ mihi illam perſuadere poſſit; & vel a juventute mea diſtinctionem latini *loci*, & græci πȣ̃, dici quidem, ſed non concipi, agnovi: ſatis habere poſſem, ſano tamen ſenſu, *primum* aliquem *motorem*, etiam cum revelata Theologia quam maxime conſentientem, agnoſcere, ſi huic negotio ex inſtituto me ſubmittere geſtirem. Interim, quod omnino ſerio repeto, confuſus ille con-

conceptus de *mechaniſmo*, *motus leges* ſine diſcrimine actionis & paſſionis *involvente*, omnes explicatiores contemplationes in perpetuum fruſtrabitur, & irritas reddet.

Ad III.

Cum allegavi Boylium & Sturmium, & alios, non ad autoritatem eorum, ſed rationes provocavi, ne repetere eas neceſſe haberem.

Ad IV.

(1) Reſponſio repetit & tuetur aſſertionem hanc: *Tota animi non ſolum indoles, ſed deſtinatio quoque tota, quam ſcimus, & quantum usquam ſcimus, verſatur unice circa corporearum rerum affectiones.* Huic ſententiæ objectum eſt, quod anima deſtinata ſit, non tantum ad cognoſcendas res externas, ſed etiam, & quidem multo magis, ad noſcendum ſeipſam, & per hæc autorem Deum. *Reſponſio* diſtinguit inter Phyſica & Phyſico-moralia, ſed hæc diſtinctio aſſertioni addi debebat, nimis certe generali & aſſeverativæ, quaſi nihil aliud *quantum usquam ſcimus*, niſi corporeæ affectiones ad animæ deſtinationem pertinerent; cum tamen ſciamus non tantum corpora, ſed & nos ipſos & Deum, a nobis cognoſci, immo & debere cognoſci. Eoque magis reſtinctione opus erat, quod aſſertio etiam ad animam humanam reſpiceret, nam in anima brutorum nihil ineſt morale, ſed omnia ſunt mere Phyſica.

(2) *Reſponſio* negat ſe perveſtigare valere, quomodo anima ulla Phyſica ſcientia ad agnitionem Dei ut autoris pervenire poſſit, niſi forte accedant Phyſico-moralia, velut conſcientia, inquietudo, pœna plerorumque maleficorum. Sed miror, cur tam debilia allegentur. Inquietudo illa ſeu metus nihil probat, nec plerique malefici hic puniuntur. Præſtabat allegare ordinem rerum, & neceſſitatem primæ cauſæ, aliaque id genus certiſſima divinitatis argumenta.

(3) Miror etiam, quod negetur in *Reſponſione* animam ullam ad ſe cognoſcendam eſſe deſtinatam. Sane ſui cognitio eſt perfectio quædam, ad quam animæ nonnullæ utique perveniunt; nulla autem res ad perfectionem pervenit, ad quam a Deo non ſit deſtinata. Quod autem negatur animam ſe cognoſcere ſecundum ſuam eſſentiam, ambiguum eſt, & nihil ad rem facit, nam eodem modo res externas ſecundum earum eſſentiam non cognoſcit. Animæ non minus naturale eſt exercere actus reflexos, ſeu ſeipſam intueri, quam alia extra ſe percipere; imo externa non cognoſcit, niſi per cognitionem eorum, quæ inſunt in ipſamet.

(4) Neque hæc plane a Phyſicis excludenda, & ad moralia rejicienda ſunt, cum in Phyſica etiam agatur de reminiſcentia, ubi anima actum reflexum exercet, nec tantum priorem cognitionem repetit, ſed etiam agnoſcit eam jam affuiſſe.

Ad IV. Exceptionem Replicatio.

Miratur aliquoties in hac exceptione Dn. Autor, aliqua mea aſſerta; ego vero, niſi me omnia fallunt, longe meliore jure miror, quod Dn. Autor nec in tertia animadverſione, nec in univerſis his exceptionibus, vel ſuis, vel aliorum, *rationibus* & *probationibus*, clarius demonſtraverit, quod in *organiſmo*, nihil ſit, *(formaliter) alieniſſimum* a *mechaniſmo.* Certe enim quod tales rationes repetere faſtidiverit, prorſus ἄκαιρον erat; cum nulla prolixitate erga me opus fuiſſet, qui vim medii termini, ſi non intelligerem, oblitum eſſe verius foret, quam de novo docendum eſſe. Interim ad ea, quæ quarta hac exceptione afferuntur, nequaquam exhauriunt fundamentum intentatæ diſceptationis. Cum enim res ipſa, dummodo recte intellecta aut aſſumpta, monſtret, quod de conceptibus circa res *phyſicas*, mihi ſermo ſit; nulla certe mihi incumbebat neceſſitas, monendi, ne ad *morales* reſpectus tranſumptio inſtituatur. Agnito enim, (quod ipſe Dn. Autor hic non amplius in dubium vocat,) quod de conceptibus,

ſecun-

ſecundum contemplationes rerum phyſicarum loquar: triſtiſſimum eſt, atque notisſimum, quod *unius poſitio, non ſit alterius negatio;* adeoque nulla providentia hic opus ſit, ad excuſandum, quid velim *non dixiſſe.* Sed certe etiam hæc largitio eſt ſuperflua; cum vocabulum *Sciendi*, (nempe exquiſite, per *omnes* ſuas *cauſas*, cognoſcendi,) tam parum cadat, (perfecte,) in res *morales*, quatenus revera a phyſicis *æſtimationibus* differunt: Ut Dn. Autor potius omni modo neceſſe habuiſſet, liquido monſtrare, quod ulla noſtra, in *moralibus*, ſcientia, phyſicos *reſpectus*, & *æſtimationes* ſecundum phyſicos *eventus*, tranſcendere posſit. Quod quidem Dnum Autorem non ad animum admittere, abſolute inexpectatum acciderat: quem nempe exquiſitarum diſcretionum, ſi quem ullum alium, compotem eſſe, ante hunc diem firmiter mihi perſuaſeram. *De illo vero, quod in anima *brutorum nihil* ſit *morale*, piget loqui, cum tam ſiniſtre cadant, tam conſiderationes, quam diſtinctiones. Ad ſecundum autem quod attinet, quod ego tam *debilia* allegem; provoco ad omnes, contemplandi & diſcernendi compotes, utrum vel unguem latum validius ſit argumentum illud, de *relatione ad primam cauſam*, ſub univerſa reliqua Epicurea hypotheſi, quam ſtabilitum itur; nempe, quod omnia corpora naturalia, ut diviſione actuali, ita numero, in infinitum excurrentia: ſingula inquam talium, in infinitum, habeant adjunctas, inſeparabiliter inquam inditas, *proprias entelechias*, ſeu *proprios motores.* Neque hoc ſolum, ſed quod etiam hæ entelechiæ *motrices*, abſolute e proprio inſtincta, ad omnes fines, *propria* inquam *vi & energia* agant, ſeu corpus illud, cui inſeparabiliter inhærent, agitent atque actuent. Quis enim non videt, quod hujusmodi præfigurationes duplici, pariter antiquiſſimæ, perturbationi mentis humanæ, & dederint ſemper occaſionem & daturæ ſint. Primo nempe, opinioni de *æternitate mundi;* ſecundo ſolide Epicureæ illi phantaſiæ, quod Divinitas, rebus quomodocunque, (ſive ab ipſa, ſive a ſeipſis,) in hunc ordinem compactis, aut collapſis, non amplius invigilare, vel opus habeat, vel cordi habeat. Quod enim *harmoniam* illam *præſtabilitam* attinet; quibus vocabu-

cabulis, ſeu mero ſono variante Dn. Autor nominat illud, quod alii, ſive diſerte vocabulis, ſive diſcrete ſenſu locutionum, *leges naturæ* vocaverunt, aut ſuppoſuerunt: Secundum quas, cum omnia, & quidem *immutabiliter*, & perpetuo, fieri & perpetrari Dn. Autor, cum aſſeclis harum opinionum, credi velit: quid aliud expectare poteſt, quam ut in infinitum procurrendi, adeoque nullum finem habenti, *numero* corporum; & pariter infinito, nullum finem habenti *numero*, activarum incorporearum motricium facultatum, ſeu entelechiarum: etiam reſpondere poſſit *infinitas* ortus, ſeu nullus terminus *præſtabilienda* ſuæ *harmoniæ*, unde *inceperint*. Quemadmodum infra, in exceptione vigeſima prima, etiam edicitur, quod entelechiæ illæ, etiam *nunquam ceſſaturæ ſint*, aut abolitum iri credi debeant. E quibus omnibus implicationibus, nunquam certe ullatenus, nedum fortius, mens humana, vera aliqua *ſcientia* pertingere poterit, ad apodictice ſtabiliendum *primæ cauſæ* actum, pro orta harum rerum *undique infinitarum*: ſi vero quidquam minimo minus eſſe poteſt, eadem illa menſura, nempe in nihilum nulla, ex his tricis, admittere, nedum eruere poterit, *primæ* illius *cauſæ* adhuc *perpetuum influxum*, adeoque verum *providentiæ* ſupremæ indeſinentem concurſum, gubernationem atque *directionem*: præſertim, ſi *harmonia* illa *præſtabilita*, non aliquid ſimpliciſſimæ metaphyſicum, abſtractum, habendum ſit; ſed aliquid reale, *modum* & *menſuram activitatis* illius *motoriæ* entelechialis, in ordinem inviolabilem *cogens*, aut intra illum *coercens*. Sicut hujusmodi multiplicatio entium, in præliminaribus ſuppoſitionibus Dni Autoris, ſecundum quas de meis aſſertionibus judicium ferre & decernere ſuſcepit, non exiguo numero invenitur.

Fruſtra etiam certe iterum, no. 3. *miratur* Exceptio, quod mea reſponſio neget, animam non eſſe deſtinatam, ad cognoſcendam ſeipſam. Ita nempe undique, etiam ſimpliciores diſtinctiones, fusque deque habitæ, omnem indolem juſtæ diſquiſitionis peſſundant. Ubi enim quæſo ullum a me verbum prolatum eſt, de *deſtinatione* animæ? Cum nihil, niſi illud

illud unum in controverſia fuerit, quid, quantumcunque fundata *ſcientia*, anima aſſequi poſſit; & quidem de ullis rebus, quæ non ad *corporales affectiones* pertineant. Quas *corporales* affectiones, ſi in *materiæ* & *motus*, utrinque *veras* atque *proprias* rationes, earumque reciprocas *relationes* ſeu proportiones, diſpeſcere, conſentiunt, exceptionum talium autores aut fautores; nihil proclivius erit, quam apodictice ſtabilire, quod ne quidem de *Divinitate* quidquam cognoſcendi, adeoque vel primum fundamentum *naturalis Theologiæ*, de *exiſtentia* Divinitatis, *naturaliter* inquam, aſſequendi, compos ſit anima. Quod autem *nihil ad rem facere dicitur*, ſi anima *ſeipſam*, ſecundum ſuam eſſentiam non cognoſcat; &, ceu *ratio* hujus aſſertionis, (quod *nihil ad rem faciat*,) adducitur, quia *etiam res externas*, ſecundum ipſarum eſſentiam *non cognoſcere poſſit*: certe talium aſſertionum *nervum diſputatorium*, etiam nulla anima cognoſcet. Si enim anima *deſtinata* eſt, ad cognoſcendam *ſeipſam*; & tamen nullatenus cognoſcit *ſuam eſſentiam*, ſeu quicquid *ſibi eſſentialiter* ineſt: quidnam *ſui*, nedum totam *ſeipſam*, cognoſcere debebit? Quæ vero ultra dicuntur, de actibus *reflexis*, nedum de *reminiſcentia*, contra quid usquam dicuntur? Cum nihil aliud fuerit in tota diſceptatione, niſi illud unum: quod *de anima* non plus *ſciamus*, quam *contemplationes*, *comparationes*, ſive ut exceptio nominat, *reflexiones*, unice circa *corporearum* rerum *mutuas* affectiones occupatas: nempe *numerum*, *locum*, *magnitudinem*, *figuram*, *motum* & *actum*, hujus *gradum*, *ordinem*, *tempus*, *effectum*, & ad res neceſſario fientes, *finem*. Sane vero quantum ſtricte dictæ *ſcientiæ* nobis competat, ex agnitione ſic dictorum principiorum nobiſcum natorum, majus operæ pretium feciſſet Dn. Autor, ſi vel mediocriter ſolum enucleaſſet; aut certe amplius, quam ego jam pridem in *diſcretione* τȣ̃ λόγȣ, ϗ τȣ̃ λογισμȣ̃, allegavi: tanto magis cum illa, quæ in negotio *ſenſationum*, ſecundum hanc differentiam fiunt, omnino mererentur evidentiorem, ſi quæ detur, explicationem ſcientificam; ſed certe, per *actus reflexos*, *intuitum*, ſeu *obtutum* ſui ipſius, ſimilitudinem *reminiſcentiæ*, *entelechias*

 deriva-

derivativas, *motum nunquam exiſtentem*, certe nunquam enucleandam.

Ad V.

(1) Quæſtio eſt utrum aliqua ſit perceptio, ubi non adeſt animadverſio. *Reſponſio* ſatis oſtendit mentem diſcurſus objectionibus præmiſſi non bene fuiſſe perceptam, cum perceptionem intellectui æquipollere aſſumit, a quo tantum abeſt, ut ne ſenſui quidem æquipolleat. *Perceptio* tam late ſumitur, ut etiam poſſit eſſe plane confuſa, *Senſio* habet aliquid diſtincti, *Intellectio* procedit per rationes, ſeu per veritates univerſales, nec niſi in animabus rationalibus obſervatur. Ut autem melius intelligatur natura perceptionis confuſæ, expendatur exemplum jam dudum allegatum: Cum miſcentur duo pulveres, cæruleus & flavus, ut inde fiat pulvis coloris viridis, tunc percipit anima utrumque pulviſculum, nempe tam cæruleum, quam flavum, nam niſi pars acervi eam afficeret, nec a toto afficeretur; & hanc paſſionem animæ, a pulviſculo cæruleo vel flavo, ejus perceptionem voco. Sed ea perceptio confuſa eſt, & in viridis coloris ſenſione latet, minimeque a nobis cæruleus aut flavus color percipitur, niſi ut in viridi occultatur. Et hac explicatione data, puto ceſſaturas *Reſponſionis* dubitationes, agnoſci que etiam quomodo hinc derivem, innumera a nobis percipi in corpore quoque noſtro, quæ ob exiguitatem rei, aut ob conſvetudinem id eſt, ob exiguitatem impreſſionis non ſentimus.

Ad V. Exceptionem Replicatio.

Quæ in Exceptione ad Quintum Membrum rurſus adducuntur, quousque meæ Deductioni crucem figere poſſint, iterum cujuslibet bene diſtincto judicio & arbitrio permitto. Ego aliter comprehendere non poſſum, quam quod *perceptio*, ſine ulla *animadverſione*, nunquam fieri poſſit. Et ſane recte antiquisſimi, quod hic Dn. Autor *perceptionem* vocat,

(nec

(nec me ipſo contradicente) *ſenſum communem* appellaverunt: nempe utique *confuſam*, quantum ad *ſpecialia*, ſed tamen *veram* & realem, *generalem* animadverſionem, *quod* aliquid ſentiendum præſto ſit. Cui demum ſuccedit *altior* animadverſio, *quid* & *quale* illud ſit; Adeoque etiam *perceptionis* exquiſitior *intenſio* & *animadverſionis intentio* & *attentio*. Voluiſſem autem, ut Dn. Autor meum Argumentum penitius ſolviſſet, quomodo non *confuſa*, ſed quantumcunque *exquiſitiſſima* animadverſione, anima *dijudicare* valeat, quod in oblato colore *viridi*, inſit *cæruleus*, & *flavus*: cum utrorumque *ſeorſim propriam* eſſentiam animadvertere, ſeu vere intellectualiter judicare, nullatenus valeat: ſed ſola veluti prima *cognitionis* notione, & tunc addita, ſive *verbali* nota, ſive alteri animæ per nullum diſcurſum communicabili *idea*, hanc ſingularem impreſſionem in ſenſum, diſtinctam conſervare poſſit. Unde certe tam novus color, qui e *commixtione* reſultat, quam *proprius* cujusque *ſeorſim*, non niſi unam eandemque *generalem* animadverſionem, etiam quantumlibet ſeſe advertenti animæ offert: i.e. tam parum illa *diſtincte* judicare valet, unde *commixtio* cærulei & flavi, *viriditatem* ſiſtat (niſi quod in graminea viriditate, propinquitas *flavedinis* emineat) quam parum *diſtincte* judicare poteſt, quid *in ſe* & proprie atque *directe* ſit, ſive eſſentia *cærulei*, ſive *flavi*.

Tanto magis autem liquere opinor, quod Dn. Autor nervum meæ Deductionis in hoc Membro præcipuum, plane non voluerit attingere, qui erat, quod Anima ſubinde res, ſenſorium unum l. alterum certiſſime ferientes, ne quidem *generalisſima* illa perceptione, ſeu *ſenſu communi*, apprehendat; ut velut in momenta obviis exemplis notiſſimum eſt, dum alii negotio attentius intenta, ne quidem ullo modo *generalisſimo*, fieri animadvertit, quæ ipſo Actu ſcientia ſenſoria ſine contradictione feriunt. Cui nempe fundamento innititur, vera illa, & in re fundata, ſed certe adhuc paſſim parum pro dignitate animadverſa, diverſitas, *activæ poteſtatis* Animæ, ad *ſentiendum*, aut *non* ſentiendum: & *pasſivæ receptivitatis*, Motuum, ſenſoria ab extra afficientium.

Quamrem, quum in ipſa ſcripta Theoria, quantum pro diſcentibus neceſſarium videri poterat, prolixe deduxerim; ſatis, ſi quidem non abunde, erit, per ſummos apices hic repetere. Ad ſenſationem parte una, requiritur, *appulſus ſpeciei ſenſilis*, ad *corporeum* organum *ſenſorium*; & *impulſus*, quem huic infert. Ex altera parte, adeſſe utique debet exquiſita *mechanico-organica* diſpoſitio, in *corporea* conſtitutione *ſenſorii*, vulgo dicti organi; ſed hæc nondum abſolvit ullum effectum aut eventum *ſenſationis*: verum neceſſaria prorſus eſt adhuc longe penitior *Actuatio*, quæ τό *formale organiſationis* demum conſtituat, imo, (dico *organiſationis*) abſolvat; nempe tam juſta *tonica* intenſio, quam exquiſita *directio*, tenerrimæ ſtructuræ organicæ, in illa parte ſenſoria. Hæc poſtrema præcipue, quanquam etiam altera antecedens, ſunt exquiſitiſſimæ *operationes animæ*; nempe *motoriæ* actiones, in organo ſenſoriæ. Præter hæc autem omnia, ſupereſt, pro totius negotii ultimo apice, *attentio*, quantumcunque *intenta*, animæ, ad *actum* ſenſationis, quod vulgo dicimus, cum animi adverſione, ſeu *advertentia*, active & poſitive celebrandum. Vnde, ſi vel maxime *occurſus* ſeu *appulſus*, imo *impulſus*, ſeu qualiscunque *commotio*, ab objecto ſenſili, in *organum*, (ſeu potius nudam *machinam*) fiat; ſi hæc, *juſto* & *ſufficiente tono*, non recte *actuetur*, tam parum juſtæ ſenſoriæ *impresſionis* inde ſequetur, quam *ſoni*, a *chorda* nihil *tenſa*. Quanto magis e contra, *active* tendens illud principium tenerrimas organi partes, *tono* illo affecerit, tanto tenerius *adventitius* ille inſultus, percellet ſic adfectam partem. Ut adeo *ſenſatio* in genere, ſit *Motus* ſenſorio adhibiti *alteratio*, a *motu extrinſecus incurrente*; quæ quum neceſſario redundet in illud principium, quod *motum* in organa ipſa *perpetrat & ſuſtentat*, fit inde, *in hoc principium* impreſſio illa, quam *perceptionem* uſitata notatione vocant: tanto *exquiſitior*, quanto *intentius* motus hic *activus* ſenſorius, tenerrimis partibus organi adhibetur.

E qua conſideratione non poteſt ita prorſus obſcure colligi, qui fiat quotidianis, imo in horas obviis, exemplis, v. g. ſub profundo & *ſecuro* ſomno, ut teneriores ſenſationes

ab

ab objectis ordinariis, plane non (quantum ad ſenſationem ſufficit) afficiantur: adeoque per illud tempus tales ſenſationes revera plane non fiant. Dum nimirum, dimiſſo tali *gradu tonici motus*, qui ad *actum perceptionis* adminiſtrari debebat, aliunde occurſans tenor motus, nihil ad rhombum efficit: & viciſſim, quomodo *ſecuræ* quieti *diffidens* anima, etiam ſenſoriæ tenſivæ *actionis*, tantum adhuc, v. g. in *auditoriis* organis, detineat & continuet, ut qualiscunque *ſtrepitus* illam ad *vigilantiam revocare* poſſit. Cujus rei exempla quotidiana ſunt, in notisſima illa *intenſa* æque ac *intenta*, *acuto* audiendi, præſertim *timidi* cupiditate, ſeu exquiſite audiendi intenta *voluntate*.

Nihil autem miror, ſi hæc talia tam prolixe narrari, nauſeam alicui moveant; cum certe mihi ipſi idem obtingat &c.

Ad VI.

Non intelligo *Reſponſionem*, columbarum reditus ad nota columbaria a corporeis impreſſionibus fieri, negantem. Nonne radii lucis, itemque propagationes ſonorum, odorumque ſunt corporeæ impresſiones. Nonne canes odorem & ſimilia effluvia tenuisſima ſequuntur, cum per multa milliaria viam inveniunt? Item de columbis ad columbaria redeuntibus dicendum putem, nempe ſenſus earum recordationemque percelli. Prima an poſterioribus præferant, parum refert, cum & canes interdum priores dominos repetant, interdum novis adhæreſcant.

Ad VI. Exceptionem Replicatio

Ad Sextam meam explicationem, non capio, quid adjiciendum eſſe posſit; imo in confeſſo potius eſſe arbitror, quod nimio plus jam dixerim, quam operæ pretium ſit. Quod juxta poſteriores Exceptiones non intellectum fuerit, tanto minus mirari licet, quum tantundem toti ſtatui controverſiæ evenerit. Erat hic, an v. g. *reditus columbarum* fiat ita nuda

 ſimplici-

ſimpliciter *mechanica* actione, ut neſcio quæ exhalationes, aut quocunque modo agentes *particulæ*, *priſtini* columbarii ad longiſſimam diſtantiam per Atmoſphæram, perpetuo divagantes, pure corporea organa illius machinæ, qualem eſſe volunt, quam columbam dicimus, ita *trudant* atque pellant, ut hanc columbam inquam, vel ab altero milliari ad priſtinam manſionem repellant & *retroagant?* Quæ nempe eſt ſincera aſſeveratio brutis animam negantium: pro qua, an, & quousque ſteterit Dn. Autor, ex ejus dubitatione judicandum veniet. In Exceptione vero, convertitur res ad *recordationem*; nimio majore, niſi me quidem omnia fallunt, difficultate Aſyntheta. Quum enim *recordatio*, *reminiſcentia*, *memoria*, ex illa *hypotheſi*, ſit nudus *actus mechanicus*, *corporalis repræſentationis*, alicubi in tenerrimam ſubſtantiam cerebri impreſſæ: quid talis res facere poſſit, ad *diſtinctum* non ſolum, ſed *tempore* ipſo diverſum, nempe *ſubſequentem* demum, actum *executionis*, *ſecundum* illam *recordationem*, imo *propter objecta* recordationis, (*phyſico-mechanica*, an vero *moralia*, *finalia*, diſpiciant oculatiores) ego pariter neceſſe habeo profiteri, me non intelligere. Mihi enim 1) actus *memoriæ*, 2) ſecundum memoriæ *ſubjectum* fientis *judicii*, & 3) *Voluntatis*, ſecundum *judicium* potius, quam *memoriam*, perpetuo ſunt res *diſtinctæ*: quid autem etiam, ad totum effectum, pure paſſivæ *pulſionis* & *truſionis*, usque ad terminum *reditus*, *recordationi* competat; & cur hujus mentionem facere neceſſarium videri potuerit, (niſi ad ſententiam, cui ego ſubſcribo, ambiguus inclinet animus,) etiam non intelligo.

Ad VII.

Hic fortaſſe diſſenſus non eſt.

Ad VIII.

Si corpus perceptione & appetitu careret, credo non magis vivum appellari mereretur, quam flamma ad ſe nutriendam laborans. Et fortaſſe *Reſponſio* non diſſentit, videtur enim ad animam recurrere.

Ad VIII.

Ad VIII. Exceptionem Replicatio.

Duo hæc dubia, in eandem tribum conjiciuntur, ut nempe in priore, *fortaſſis*, in altero, *ut videtur*, nihil magnopere differat, Dni Autoris, & mea ſententia. Ita enim conſentit Exceptio, hos numeros reſpiciens. Et ſane admodum moderate jam in Dubitatione, *ſeptimo* dubio adſcriptum erat, quod Dn. Autor ſaltem ita *putet*. De *Octavo* vero non ita facilem expectaveram opinionem, quod mea theſis *fortaſſe* non diſſentiat. Si enim illi reſpectus, *novem* indiciis, *juſta conſecutione* procedentes, non diſſidere videntur, ab illa, in omnia alia abeunte imaginatione, de *flamma*, ſeipſam non ſolum *nutriente*; ſed, ut habet Exceptio, etiam *laborante* ſeſe nutrire: tunc non video, quid ultra diſſenſus utrinque agnoſci poſſit, nempe ex parte Dn. Autoris, cui hæc ita, *fortaſſe eſſe videntur*. Ita enim ipſi mecum convenire potuiſſet, ſi vel maxime, reciproce mihi cum ipſo convenire, circa has opiniones, non obtigiſſet. Cum autem ipſa profunda univerſæ dubitationis recte fundandæ, initia, tam levi pede transſilire, ſatis viſum fuerit; nec mihi magis mirum eſſe potuit, quod univerſa dubitatio non exactius, vel propoſita ſit, vel enucleata. Rectiſſime vero iocum illum antiquum allegatum agnoſco, pro ſententia; quam Dn. Autor tuetur; (nempe de conſervatione corporis, per media ſimpliciter corporea, ex confeſſo materialia: cui pollicem premunt *ſomnia* illa, de *radice* omnium *morborum*, *e potentiis ſalinis*: quibus proinde, *noxiis*, deſtinantur *contrariæ* (quidem, ſed & ipſæ ſalinæ energiæ,) *corporeæ* materiæ, quæ, cum ſecundum hanc opinionem, propugnare debeant, & conſervare illud, quod contrariæ impugnant imo expugnat atque deſtruunt: nempe vitam: recte huc quadrabit apophthegma, a Dn. Autore adductum; niſi quidem ita informare potius, quam reformare, ſatius videatur: *ſalem* potius *pro anima* datum eſſe, quam *animam pro ſale*. Comparet autem, quem conceptum, talium opinionum patroni ſibi forment, de *VITA*. Qualem prorſus eundem etiam oſtendit Helmontius junior, quando de alutariorum conditura corii bubuli, per reſinoſos cortices abiegnos, (Von dem Lohe Gerben / Lohe gahr machen/

chen/ forte Lohe-gåhrigt machen) ex eadem porticu philoſophatur, quod hac operatione phyſica, *alia nova Vita*, introducatur in cutem bubulam: quod idem ſub ſe comprehendit etiam omnia, tam muria, quam fuliginoſo fumo condita. Qualium animarum traduce, cum præ aliis celebris ſit Weſtphalia, poterat inde tanto facilius jocus hic emanare.

Ad IX.

(1) Vegetationem, nutritionem, propagationem oriri ex ſtructura & motu machinæ; *Reſponſio* pro nuda poſitione habet ſine probatione. Sed contrarium potius ipſa probare debebat. Quicquid enim in corpore & a corpore fit, id mechanice, ſeu per ejus magnitudinem, figuram & motum fieri præſumitur, niſi contrarium probetur, id eſt, niſi oſtendatur, id eſſe ſupra materiæ naturam.

(2) Analogia flammæ ſe tuentis, nutrientis, propagantis, comparatæ cum animali eadem præſtante exquiſitius; non eſt tam ſpernenda, quam *Reſponſio* innuit. Quemadmodum enim *Reſponſio* ad rigoroſos explicatus recurrens, negat, flammam per ſe ſubſiſtere, ſe nutrire, ſe propagare, ſe tueri, ſe aeris affluxu indigere; Ita eodem modo negari poteſt, animal hæc per ſe præſtare, quia ſine perpetuo ambientium affluxu, & permeatione intima non tantum reſpiratio locum non haberet, ſed etiam calor & fluiditas humorum ceſſarent, ut ex intenſi frigoris experimento conſtat. Ut iam de vi Elaſtica non dicam & motu Tonico, (qui credo nihil aliud, quam vis Elaſticæ exercitium eſſe) quæ etiam a motu permeantium oriri conſtat. Experimento etiam Antliæ Pneumaticæ ſcimus, aeris ambientis preſſione, ſangvinem aliosque liquores plerumque in ſua debita conſiſtentia contineri, eaque ſublata ſpumeſcere, & vaſa dirumpere, nec, ut par eſt, circulari. Accedit transpiratio perpetua, aliaque adſunt indicia multa, ex quibus patet, corpora animalium non tantum nutrimento, per intervalla aſſumto indigere, ſed & fluminis inſtar in continuo fluxu eſſe. Nec quicquam

quam tam ſolidum eſſe inter corporea ſenſibilia, quin inteſtinis motibus agitetur, qui ab ambientium permeatione ſuſtentantur, Boylius multis obſervationibus firmavit. Nec obſtat analogiæ inter flammam & animal, quod flamma comparari poſſit vortici pulveris ab aere agitati; cum tota natura corporea ex hujusmodi vorticibus fluidorum parvis magnisque conſtet; ut ipſa corporum firmitas ex motu fluidorum corporum conſpirante oriatur, quæ cohæſionem quandam producit, ut ſine reſiſtentia unum ab altero divelli non poſſit.

Ad IX. Exceptionem Replicatio.

Quam inanes ſint diſputationes, ſtatu controverſiæ non conſtituto aut ſervato, ſi præſens diſceptatio non oſtendit, nihil aliud declarabit. Aſſignabatur in Dubitatione, corpori ejusque ſtructuræ ſimpliciter *corporea efficacia ſeipſum perficiendi, nutriendi, reparandi, propagandi.* Mihi nihil horum placere poterat; affatim utique animadvertenti, quod omnia & ſingula, quæ hic memorantur, ad ipſam usque *ſtructuram*, primo & primario loco, *Motu* ſolo, & hujus exquiſitisſima *gubernatione*, & *ſpecialisſima directione*, unice abſolvantur; imo, non *ſoleant* ſolum ita, ſed ne *poſſint* quidem aliter fieri. Quid e prolixa mea deductione perceptum, aut potius paſſim viſum tantum ſit, Exceptiones innuunt. Otioſa certe occupatio eſt, res non niſi *ſub connexione* expendendas, decerpendo captare potius, quam carpere.

Difficultas, quæ hanc novam (mechanicam) philoſophiam perpetuo impeditam tenuit, non amplius ita diſſimulari poteſt, quin etiam ſimplicisſimæ contemplationi facile diſpaleſcat. Omnia in corporibus, quæ vulgo *animata* dicuntur, pure *mechanice* fieri, prima ibi eſt poſitio. Illud *τὸ Mechanicum*, tribuitur *materiæ* & *motui*. Minus feliciter autem, velut ex compacto, de quocunque negotio tandem incidat ſermo, omnia & ſingula adſcribuntur *materiæ*; quæ propriis *ſuis*, aut *ſui affectionibus*, omnia & *efficiat*, & *perficiat*: tam in *ſeipſam*,

quam *in alia.* Sicubi vero ad *Motum* revocatur diſceptatio, tunc tam de *propria* hujus eſſentia, quam *ſubſiſtentia*, & *efficacia*, adeo vel *nulla* vel prorſus *aliena* obtinetur explicatio, ut nihil usquam, niſi vel *principii petitiones*, vel inter operoſe textas verborum ambages, tandem illud unum exeat, breviſſimum, quod ab omni tempore, ſimpliciſſimo candore, agnoſcit vulgus hominum: Das ſey nun alſo / und habe ſeine Art alſo / und müſſe ohne Zweifel alſo / und nicht anders ſeyn / weil es allezeit überein alſo geweſen ſey.

Cui decreto ſanciendo & ſtabiliendo, præcipuo ſubſidio eſt pro imperio ad univerſalis legis vim deductum illud Edictum: *de finibus* rerum naturalium *non eſſe diſputandum.* Quod nempe rotunde eſt illud idem, *omnia ita eſſe debere*, *uti ſunt*, *quia ita ſunt.*

A qua vero ſententia, cum illa, quam ego quoque tueor, ita in diverſum abeat, ut *diſſentiendi rationes* quoque reddam; tam ab ipſarum rerum *in ſe* conſiderata indole, quam *mutuo* inter plures habitu, & tandem manifeſtiore *fine*, evidenter depromtas: cum aliis eligendi libertatem liberaliter relinquam: quid attinet, ſimilem libertatem exercendi arbitrium mihi eripere velle: ſolis edictis, non ſolum ſine ulla ratione, ſed & contra omnem allegatam.

Unde potius cujusvis recte colligendi facultate pollentis proprio judicio permitto, 1) an ego ſine juſta cauſa deſideraverim, quod *ſententia* in dubitationibus adhuc nimio generalius producta, *quod corpus vivum ſeſe perficiat*, *nutriat*, *reparet propaget;* & quod hoc vniverſum ex ipſa *ſtructura* ejus, ut *machinæ*, conſequatur: Aut, (quod fortaſſe vocabulum VIVI corporis innuere debebat) quod *motus* illi *machinæ*, quatenus *materialis* eſt, in Exceptione adſcriptus, revera talis ſit; nempe *machinæ* illi tali, quatenus corporea eſt, inditus, inſitus, (*πρότως, καθ᾽ αὐτὴν ϗ μὴ κατὰ συμβεβηκός*) proprius, omnia iſta efficiat & perficiat?

Aut an ex adverſo ego non (uti contendit Exceptio) probaverim, quod hi actus & effectus non ſint a machina, quatenus *materiata* eſt; ſeu, ut iterum loquitur Exceptio, *ſu-*

pra materia naturam. Unde aliter augurari non poſſum, quam quod priores illæ conditiones, quas ad *octavum* Dubium poſtulavi, lectæ non fuerint: ſecus enim capere non poſſum, qui fieri potuiſſet, ut non intellectæ eſſent.

Reliqua vero, quæ in Exceptione pro *nono* illo dubio ſtabiliendo afferuntur, expediat quisquis poteſt: ego Davus ſum non Oedipus.

Ad X.

(1) Cum medicina conſiſtat in arte corporis, humani tuendi utique accurata corporis humani cognitio nimia eſſe non poteſt ad ſcopum medicum, etſi omnes Medicos æque eam poſſidere neceſſe non ſit. *Reſponſio* innuit, inutilitatem Anatomiæ maxime de recentiore illa exquiſitiore intelligi. Sed argumenta ad eam probandam allata, fere fundata ſunt in præſenti ſtatu ſcientiæ medicæ, quam in infantia hactenus conſtitutam eſſe nemo credo inficiabitur, & licet pars eius, quæ Chirurgia appellatur, facilius excoli potuerit, quia magis per viſibilia procedit; promotio tamen ipſius quoque maxima progreſſu temporis ſperari poteſt, & quanto perficietur magis, eo magis apparebit uſus exquiſitæ Anatomiæ; uti certe videmus ad ſublationem catarrhactæ oculi & lapidis veſicæ eam profuiſſe. Spes eſt, aliquando aquam inter cutem aliaque noxia non minore certitudine ſublatum iri, aliasque aperturas, ſeparationes, reparationes, correctiones in poteſtate fore, quæ nunc habentur deſperatæ; itaque reipublicæ intereſt nihil omitti, quod ad ſpem futuri progreſſus facere poſſit.

Ad X. Exceptionem Replicatio.

Quæ pro *decimi* dubii reductione in viam declaravi, ut ante oculos eſt, illis duobus fundamentis innituntur, 1) quod magnus numerus ſcrutiniorum *Anatomicorum*, *Medico* ſcopo, (tam chirurgico, quam pharmaceutico-therapevtico) nihil quicquam lucis aut *uſus Pragmatici*, adferat: ſed *phyſicæ*, vel notitiæ *hiſtoricæ*, vel penſitationi *ſcientificæ*, (non *medicæ* ſed *phyſicæ anthropologiæ*,) relinqui mereatur. 2) Interim autem etiam

in illa anatomiæ tractatione, quæ *medicis* uſibus in rei veritate inſervit, affatim laboris vero philiatro ſuperſit: 3) indiſcreta vero utriusque talis anatomiæ tractatio, non ſolum multum temporis & laboris ſubtrahat ſuarum rerum ſatagenti: ſed etiam 4) altioribus *confuſionibus*, tam in *ſpeculatione*, quam *operatione* directe *medica* planam viam ſternat. Unde 5) nemo vir probus & peritus recte colligendi, e meis dictis aut ſcriptis, me inſimulaverit, quod ego *anatomiam ullam*, nedum *omnem* & *univerſam* nihili faciam; qui *medicam*, maximi, *phyſicam* autem illam, (extra medicos circulos,) certe nequaquam parvi facio. Quapropter Dno Autori quidem, utpote harum rerum, uti ſatis apparet, minus compoti, nihil imputo, quod, (omnino mecum conſentiens,) utriusque talis anatomiæ ſtudium non ſimpliciter contemnendum duxerit. Quod autem de inſignibus uſibus, etiam *in medicina*, univerſæ anatomicæ operoſæ veſtigationis, ampliſſimam adhuc ſpem foverit; quæ *medicæ* artis perenni adhuc infantiæ, repentina incrementa polliceri auſit: ex una parte ſine dubio profectum eſt, a veræ artis medicæ fundamentalium ſubſidiorum non ſatis perſpecta indole: ex altera vero, a præjudicio illo, ad quod, tamquam primum principium totius controverſiæ, perpetuus ita ſit relapſus an recurſus, unice pendet.

Licet in rei veritate, etiam ipſa hæc tota occaſio magis, quam cauſa, certe irrita ſit. Si enim vel maxime Motus ille, qui in mechanica tali ſtructura fieri (a poſteriori) obſervatur, materiali illi ſtructuræ vere immanenter inditus eſſet; imo, ſi comprehendi quoque, per omnem ſenſum, poſſet, quod alius motus, in tali ſtructura neutiquam fieri posſit; numquam tamen ex illa ſtructuræ *συζυγεία* illud ullo ſenſu aut ratione ulla perſpici aut comprehendi poſſet, quod talis motus, utut *alius* fieri non poſſet, tamen *aliter* fieri non poſſit. Nempe *minus ordinate*, minus *tempeſtive*, minus *impetuoſe* aut *contra*, minus *diu* aut *contra*, imo hæc omnia, & ſingula, *minus convenienter*, ad varios, utiles, aut neceſſarios *fines*. Quum hæc omnia experientia in horas luculenter oſtendat. Liquidisſimo documento, *animi pathematum*; a *nauſea*, etiam *vanisſima* & *ſimplicisſime*

ciſſime phantaſtica, usque ad graviſſimas *ſtructuræ* ipſius *deformationes*, *nævorum maternorum*, culpa ſolius *phantaſiæ* productorum etc. etc.

Ad XI.

(1) Et ſi neceſſaria aut certe magis utilia præferenda ſint, & major pars hominum iis ſtudere debeat, pluresque adeo oporteat eſſe agricolas, quam aurifices. Pertinet tamen ad curam reipublicæ, ut foveantur illi etiam artifices, qui ad vitæ commoditates, immo etiam ad ornatum in rei veritate conferunt. Eodem modo plerosque Medicos & Chirurgos ea tractare oportet, quorum manifeſtior eſt utilitas, curandum tamen eſt, ut ſemper ſint aliquot inſignes Anatomici, Botanici, Chymici, qui nova rimentur, iisque non ſunt deterendi aut in contemtum adducendi iactata illa inutilitate, in quo non minus falſitatis & iniquitatis foret, quam in vulgi vocibus, quod, quicquid in ſtudiis paulo eſt *excellentius*, negat eſſe de pane lucrando. Quod vero innuere videtur *Reſponſio*, affatim eſſe & fore *inſignium* Anatomicorum, id verum eſſe optem. Vereor autem, ne experientia refellatur: nam vix a binis ſeculis tales habere cœpimus, & nunc magis minui eorum numerus, quam creſcere videtur. Stenonum & Malpighiorum multitudine nunquam laborabimus.

(2) Non opus erat, ut multa de circulatione ſanguinis & ſecretoriis vaſis ex officina medica in *Animadverſione* depromerentur. Nam cui non dictus Hylas? uno verbo talia indicata fuerant, cum annotatum fuiſſet, non ſatis fructus rem medicam hactenus ex detecta in recentioribus *Oeconomia animali* cepiſſe; nec ideo tamen detectiones illas ſpernendas eſſe, neque enim uſus veritatum ſemper cum ipſis veritatibus prodeunt.

(3) Sæpe a me admonitum eſt, hactenus medicinam nimis Empiricam eſſe, nec Anatomiam ſatis ad Phyſiologiam, aut Phyſiologiam ad Pathologiam, aut Pathologiam ipſam ad Pharmaceuticam prodeſſe. Magis enim obſervationibus,

U 3 quam

quam rationibus hactenus aſſequimur, operationes partium ſenſibilium inſenſibiles; v. g. nervorum & membranarum ad uſus vitales, & ſæpe hæremus circa tranſitum a ſtatu ſano ad morboſum, aut circa reditum a morbo ad ſanitatem, id eſt, circa cauſas & remedia morborum. Sed hæc minus mirari debemus, quia Phyſica ſpecialis omnis fere hactenus in cunis iacet. Veterum Græcorum & Latinorum experimenta pleraque periere; & ratiocinia eorum, quæ ſuperſunt, admodum tenuia ſunt. Arabes & Latini ſeculorum tenebricoſorum aliquid fortaſſe adjecere ad Pathologiam & Pharmaceuticam; ſed non magni admodum momenti, multo autem plura veterum neglexere & corrupere. Nunc vero ex quo ratiocinia phyſica, per Matheſin vel Mechanicam, & experimenta per Microſcopia & Chymiam adiuvantur, ſpes eſt, Phyſicam paulatim creſcere, & tandem crepundiis relictis ad adoleſcentiam proficere poſſe. Auctaque hodie non parum per obſervationes Anatomia, Phyſiologia, & Pharmaceutica; ſpes eſt, Pathologiam quoque (quæ fortaſſe maxime hactenus neglecta fuit) inſignes progreſſus facturam, ſi major in obſervando diligentia adhibeatur, & curatores Reipublicæ Medicorum prudentium ac bene animatorum induſtriam iuvent. Obſervationibus autem præſertim circa Hiſtoriam morborum auctis, novisque aphoriſmis magno numero conſtitutis, etiam ad veras rationes magis magisque aditus fiet, quæ plerumque deſunt.

Ad XI. Exceptionem Replicatio.

Quæ in Exceptionibus ad *undecimi* dubii reſolutionem afferuntur, vereor, vt vel adverſus mea dicta allegari debuerint: vel in ſeipſis, ſatis provide circumſcripta, haberi queant. Sicut enim nulla eſt ſequela: medici monentur, ut anatomiam nullam aliam, quam quæ ipſorum uſibus quadrat, operoſe excolere allaborent; ergo omnibus hominibus idem ita injungitur, ut ipſi hac ratione ab omni alia anatomia deterreantur. Ita, meo quidem judicio, longe minus conſultum eſſe poterat, etiam quibuslibet, tam medicis & chirurgis, quam

quam aliis ſummam, *ſine diſcrimine*, utilitatem, ab univerſa anatomica veſtigatione, etiam operoſisſima, ita commendare, ut multi horum, revera ad perdendum tempus, nedum nimio magis neceſſariis rebus communiter ſubtrahendum, ita animarentur. Fruſtra autem certe hic ſunt, rhetoricæ potius declamationes, quam politicæ æſtimationes. Quot non occurrunt hodie, qui ſtudiis talibus ſumma cum induſtria, aſſiduitate, patientiſſima opera, & ſumptuum ſuorum decoctione, non majorem ſolum, ſed & meliorem, ætatis ſuæ partem largiti; reliquum vitæ ſuæ tempus in faſtidiis, ſollicitudine, penuria, tranſigunt: Sed inhabiles ad alias, utiles proximo functiones præſtandas, languentes, ſero demum lugent, quod *jucunda* viſa, non ſolum prætulerint *utilibus*, ſed & hæc præ illis *negligere* ſi vel maxime non voluerint, certe debuerint. Quæ vero etiam, omni ſimpliciori veritati adverſa commenta non irruperunt, totis torrentibus, in *verioris medicæ theoriæ* profundiſſimum detrimentum; ex *indiſcreta anatomiæ* & *immatura chymiæ*, in alienum fundum immiſſione.

Talia quidem viris, alia multiplici doctrina excellentibus, ignota eſſe poſſe, uti nemo dubitabit, ita neque vitio illis vertet. Illud autem omnino nullo jure fieri poteſt, ut hujusmodi damnorum *ignari*, aut *incurii*, honeſtiſſimas de talibus damnis querelas, tamquam *pro authoritate* taxent, & ad cenſuram vocent.

Poſſent profecto in hoc negotium ſatis ſeria aliqua moneri; quomodo melius, quam per ambiguas tales commendationes, jam a multis annis, animari potuiſſent, merito ſeligenda ad tales ſcopos, ingenia: quorum tamen, cur plane nihil factum ſit, ego certe neſcire quidem aveo, nedum quærere. Ego ſatis habeo hac in parte, meo ad id tempus officio, ſincere functum eſſe; ad neceſſaria cohortando, & *fines medici ſtudii*, *veris propriis terminis* conſtituendo.

2) De *circulationis ſanguinis* per tantum temporis intervallum, parum pro dignitate demonſtrato vero uſu, tanquam jam undique decantata & protrita a me allata eſſe, ſi gnari rerum

rum judicaverint, facile conſentio: & alterum occinam; *ſcribimus indocti doctique poemata paſſim.*

3) Quæ vero, & quibus documentis æque, atque argumentis, Dn9 Autor, *ad illum diem*, jam ſæpe monuerit, quibus defectibus *vera medica theoria* laboret; ad meam notitiam, nec ad *hodiernum* usque pervenit. Quod antiquorum pleraque experimenta perierint, & tamen inde ductæ rationes eorundem, quæ ſuperſunt, admodum tenues eſſe potuerint: durum videri poſſet conciliare; niſi illos valde parum, præ nobis ſapuiſſe inferamus. Cavendum autem certe, ne nos, ad tribunal rigidum citati, magni numeri liquido proſtantium experimentorum, nihilo graviores producere poſſimus rationes. Ego certe, ſi teſtis citer, non trepidaverim, idoneis documentis depoſitiones meas roborare.

Ceterum, uti nequaquam illaudabilis eſt bona ſpes, quod in omnibus diſciplinis, veſtigationes ulteriores, utilitatem conſideratu, aut ad minimum effatu dignam aſſequi & ſuppeditare poſſint; ita tamen nimio minore laude dignum fuerit, ad ejusmodi labores ſuſcipiendos, non ſolum *omnes* homines ſine *diſcrimine*, imo ſine judicioſa *diſcretione*, inſtigare: ſed prorſus plane peculiaribus, & jam in ſuo genere affatim laboris offerentibus ſtudiis, non ſolum addictos, ſed demum deſtinatos, hujusmodi exhortationibus implicare. Unde in negotio quæſtionis noſtræ, inanes certe ſunt hujus farinæ Panegyrici; & valet hic multo meliori jure illud: Cui non dictus Hylas? Quis enim ſine multo juſtiore nota, hujus imprudentiæ me reum peragere auſit, (præſertim ex illis locis, quæ talibus perorationibus materiam præbuiſſe, videri debebant,) ac ſi ego omnes homines ab horum generum induſtria deterrere vellem: cum, præfiſcini (ſiquidem opus fuerit proteſtari) ego ipſe, illum numerum hujus cenſus obſervationum & annotationum, paſſim in medium produxerim, ut, ſi ſolum viginti alii, in diverſis ſubjectis, paria mecum facere voluiſſent, longe majore jure, (tantisper immatura) illa ſupra citata ſpes foveri appareret. Unde, cum ego *ſoli medicinæ* operam navantibus, ad *aliena* proinde nihil otii prodigere compotibus,

tibus, (& ipſa diſtractione nimium quam facile turbandis). commendem, ne *alienis* incumbendo, *propriarum* neceſſitatum jacturam faciant; fruſtra certe eſt, & prorſus ἄκαιρος, quæcunque, nedum prolixe rhetorica, mentio generalis tanquam per ſe ſatis notarum.

Ad XII.

(1) Chymiam hactenus etiam Empiricam eſſe, fatendum eſt. Quia tamen corporum ſimilarium, aut quaſi-ſimilarium Phænomena obſervat, ex quibus conſtant ipſa organica, ideo obſervationes Chymicæ etiam in regno animali utiliter adhibentur. Nec vero ſequitur: Chymia parum profecit, ergo abſurde pro clave adhibetur. Saltem enim nonnihil profecit, & eatenus adhibetur.

(2) Itaque facile concedo, non admodum magnum hactenus Chymiæ uſum eſſe ad explicanda, quæ in animalibus inſenſibiliter fiunt. Sed aucta Chymiæ ſcientia, augebitur etiam ejus applicatio. Nam ſunt in animalibus eruptiones & exploſiones pyriis ſimiles; quales nobis multas exhibet Chymia.

(3) Cum Animadverſio in diverſis acidis, alcalibus, oleis multa communia eſſe notavit, hoc voluit, Chymiam non tantum exhibere experimenta ſpecialia, ſed etiam aphoriſmos generaliores plurimis alcalibus, plurimis acidis, plurimis oleis, etc. communes inter ſe. Et proinde utilem eſſe Chymiam ad augendam ſcientiam ſimilarium & maſſarum, ex quibus corpora organica conſtant.

(4) Chymia obſervat tum communia tribus regnis, tum propria ſingulis. Verbi gratia: æque in mineralibus, vegetabilibus & animalibus reperiuntur combuſtibilia, veluti ſulphur minerale, oleum vegetabile, pingue animale. Eſt etiam in omnibus regnis ſal volatile, quod in animali prædominatur, in vegetabili non rarum eſt, in ipſis mineralibus non omnino deeſt, nam (ut de arſenico & ſimilibus taceam) ipſum ſal armoniacum officinarum revera ex regno minerali eſt. Deinde & diverſorum regnorum corpora utiliter

 com-

combinantur: Sic carbones & alia vegetabilia oleoſa juvant fuſionem metallorum in mineris latentium; ex ſpiritu urinæ & vini oritur coagulum, ex omnibus regnis remedia animalibus ſuppeditantur.

Contra ſunt quædam ſingulis regnis propria: nullæ aquæ fortes parantur, niſi ex regno minerali, nulli ſpiritus ardentes, niſi ex regno vegetabili, aut ejus productionibus nondum ſatis transmutatis, (nam ſpiritus ex ſaccaro ſaturni de aceto reſuſcitatus eſt) nullus autophoſphorus, (quantum conſtat) niſi ex regno animali.

Ad XII. Exceptionem Replicatio.

Quæ ad præcedentem exceptionem monere neceſſe habui, eadem hic etiam locum ſibi vendicant. Quis enim non videt, quod in hac exceptione nihil, niſi illud unum indicetur, quod Dno Autori generalis aliquis conſpectus vulgaris chymiæ non defuerit. Commodius autem ſine dubio, ſpecialiora aliqua & alicujus momenti paradigmata, adduci & deduci meruiſſet: ut oſtenderetur, quomodo defectibus ejusmodi generalibus, per ſpecies medelam adhibere, integrum eſſet. Unde non eſt, cur hujus indolis commemorationibus immoremur.

Ad XIII.

Corpus animale eſſe machinam Hydraulico-Pneumatico-pyriam, & impetus in eo oriri ab exploſionibus, quæ ſint pyriis ſimiles, vix quisquam amplius dubitat, niſi chimæricis principiis animum occupatum habeat, veluti animabus diviſibilibus, naturis plaſticis, ſpeciebus intentionalibus, ideis operatricibus, principiis hylarchicis, archæis aliisque, quæ nihil ſignificant, niſi in mechanica reſolvantur.

Ad XIII. Exceptionem Replicatio.

Ad decimam tertiam hanc animadverſionem occini poſſet illud Virgilianum: ----- *Tantæne animis, quin Mentibus iræ?* Ita prorſus in fermento jacent. His talibus certe concluſionibus

bus, vel ſcientiæ conſultum iri, vel prudentiæ, vereor, ut quisquam bene compoſita mente harioletur, nedum arbitretur.

Ad XIV.

Ex vehementiſſima ſubactione & circumactione per varia vaſa, manifeſtum eſt, diſſipationem, involutionem, ſecretionem ſequi.

Ad XIV. Exceptionem Replicatio.

Tranquilla certe omnia, modo aſſidue perpetrata, totam rem expeditam dederunt inde a condito mundo, & ſemper dabunt; omnis autem, nedum ſuperlativa vehementia, peſſime conſulet negotiis. Interim hæc etiam omnia fruſtra certe ſunt. Imo eodem loco ſunt univerſa hæc verba; cum nusquam quæſtio ſit inter nos, *quid*, aut *quomodo* ſed unice, *unde*, & *a quo principio*, Motus illi fiant? &c. &c.

Ad XV.

(1) Ex eo, quod principium motus a materia mota diſtinguendum monetur, non ſequitur, motus vitalis integritatem a materiæ & organorum proportione minime pendere. Nam ſub materia per organa diſcurrente ipſum motus principium comprehenditur. Certe naturaliter nullum eſt principium movens completum, niſi corpus, quod jam eſt in motu, & ſic novos motus mechanice producit. Itaque facile concipi poteſt, principium movens energiam ſuam in corpore animalis eodem modo augere ac retardare poſſe, ac furni vis per regiſtra aut folles, aut ingeſta, intenditur aut minuitur. Nec aliter apud nos etiam animi pathematibus effectus corporei cohærent, quam quia motus materiæ tenuis, ſeu ſpirituum, ut vulgo appellari ſolet, in corpore pathematibus animæ accurate reſpondet.

(2) Hinc etiam animi pathemata corpori proſunt aut nocent, quia in materia ſpirituoſa ſeu impetum faciente, accurate repræſentantur.

 (3) Ma-

(3) Materia impetum in nobis faciens non ignoratur in ſolidum, ſed agnoſcitur ab effectu; ſuppoſita regula veræ Philoſophiæ indubitata, quod corpus naturaliter non niſi a corpore contiguo & moto moveatur. Diſſentientes confugiunt ad principia *ἄῤῥητα*, & verba nihil ſignificantia, per quæ quidvis ex quovis facere licet.

(4) Cum dico, ab igne aerem attrahi, fuliginem abigi, loquor ad ſenſum, veluti cum antliæ aquam, folles aerem attrahere dicuntur: neque enim ignoro, ſed defendo, omnem attractionem apparentem revera eſſe impulſionem. Et miror in *Defenſione* hic de meo ſenſu dubitari potuiſſe. Quod vero in flamma, idem fit in animali, pro re nata.

Ad XV. Exceptionem Replicatio.

Recte ſane tota hæc Exceptionum cohors obſignatur declaratione illa, quod *ex multis illa ſaltem excerpta ſint, quæ maxime in rem* (nempe *ſuam*,) *facere viſa fuerint.* Ex hypotheſi propria nude & ſimpliciter commemorantur, quæ fieri poſſe creduntur, nusquam autem diſputatur ad hypotheſin *Dubiorum* poſtulatam; nedum ad *rationes*, pro illa confirmanda productas, ſed quum proximis locis, & amplior, & preſſior, occaſio futura ſit, in fundum diverſitatis inſpiciendi: præſtiterit, continuis potius, & ordinatis argumentorum nexibus, rem totam exequi, quam ſparſis ejusmodi, & carptim ſolum adductis, gratuitis aſſertionibus declinandis quidquam laboris impendere.

Ad XVI.

(1) Uti nuper perceptionem, ita hic appetitum accipio, ut nempe etiam minutiores & obſcuriores animæ conatus ad aliquid conveniens obtinendum, aut inconveniens repellendum, ex perceptionibus non minus confuſis ortos, ſub *appetitus* nomine comprehendam. Itaque non magis omnem noſtrum appetitum, quam omnem noſtram perceptionem animadvertimus, & hoc ſenſu ſtatuo, corporis motus etiam nobis animadverſos appetitibus animæ reſpondere.

(2) Di-

(2) Diſtingvitur in *Reſponſione* inter ea, quæ in corpore fiunt mechanice, & quæ in eo fiunt organice, id eſt, ab anima illud actuante. Sed ſciendum eſt, corpus non poſſe ſic actuari ab anima, ut leges mechanicæ corporum vel minimum violentur. Anima nullum motum, nec motus gradum aut directionem corpori dat, qui non ex præcedentibus materiæ ſtatibus motibusque mechanice conſequatur. Contrarium aſſerere eſt, vel animam mutare in corpus, vel recurrere ad principia inexplicabilia.

Ad XVI. Exceptionem Replicatio.

Diverticula etiam præſentis exceptionis, operæ pretium non fuerit prolixius perſequi. Qui tam rem ipſam, quæ hic concernitur, quam verba deductionis meæ aſſequi idoneus fuerit, me non monente, affatim comprehendet, quid nervi inſit utrinque prolatis. An quidquam intellectu *abſtractum*, vel intellectu, vel qualibet tandem poteſtate mentis comprehendi (nempe non confuſe, & prorſus incompleta cogitatione) poſſit: & nulla, vaga ſolum, & fugitiva phantaſia nitatur? *Quantitates incommenſurabiles*, *quatenus* & *quousque* tales ſint; non ſolum *an* & *quod* ſint: & eodem reſpectu, *numeri ſurdi?* comprehendat, ut ſignificatui *comprehenſionis* quadret effectus, quisquis poteſt.

Indubitata ratio diviſionis corporis *in infinitum*, ſi nec *a priori* probari poſſit, quod *neceſſaria* ſit; nec *a poſteriori*, quod *revera exiſtat:* mihi numquam indubitata erit.

Non ſequi, *quamlibet partem toti ſimilem eſſe*, ex hypotheſi *diviſibilitatis* in infinitum, fateor; Contrarium nec ego ipſe dixi. Bene vero illud, quod ex hac hypotheſi neceſſario ſequatur, quamlibet partem totius, quantitate *menſuræ*, ſimilem futuram toti: nempe tantundem in infinitum diviſibilem, quam totum. Quid enim ſimpliciſſimæ rationi magis dilucescit, quam, ſi pars quæcunque pauciores diviſiones admitteret, neceſſarium futurum, ut diviſio in illa tandem deficiat, ſeu finem aſſequatur, adeoque non in infinitum procedat. Quod

ſi ita eſſet, abſoluta neceſſitate etiam totum diviſione illa in infinitum excideret. Quæ vero de acervo tritici & hordei afferuntur, quis huc referenda cogitaret?

Neque vero ſeria ſolum, nedum ſevera haberi poteſt intempeſtiva illa affectatio *authoritatis*, certe *ſine diutina meditatione* oppoſita non demonſtrandæ affectationi ἀκριβολογείας, tanquam audaciæ cuidam. Et putarim ſatius fuiſſe, quod primæ dubitationes profitentur, quod pleraque meorum, prout in oculos inciderunt, &, ut vulgo loquuntur, e curſoria lectione in dubium adducenda viſa ſint. Aut ad minimum, ut aliquid meditationis impendere placuiſſet, rationibus a me prolatis preſſe refellendis. Adhuc autem melius, ſi univerſa Dubitationum ſylloge, ſecundum ordinem aliquem vel enucleando, vel ad minimum, ut loquuntur, recapitulando pertractata eſſet.

Ad XVII.

(1) Cum dixi mathematica non differre a phyſicis, niſi ut abſtracta animo ab iis, quæ concreta ſunt rebus, hoc intellexi, ut numeri differunt a rebus numeratis. Eodem enim modo figuræ mathematicæ differunt a corporibus figuratis. Sed non probo differentiam *Reſponſionis*, quæ unum refert ad phantaſiam, alterum ad memoriam. Nam non omnia intellectu abſtracta, per phantaſiam ſeu imaginationem comprehendi poſſunt. Veluti numeri ſurdi, quantitates incommenſurabiles, vis agendi, cogitatio ipſa.

(2) Poſtulare, ut diviſio corporis in infinitum probetur experientia, eſt poſtulare, ut inſenſibilia oſtendantur ſenſibus. Talia ratione indubitata conſtant.

(3) Poſito, corpus quodlibet ſubdividi poſſe, non ſequitur, quamlibet mixti partem poſſe toti ſimilem eſſe. E.g. quamlibet partem denarii, quantumvis parvam, ex cupro & argento mixtam eſſe poſſe, nec ſequitur, nec concedi poteſt: prorſus quemadmodum fieri non poteſt, ut quævis particula acervi ex tritico & hordeo confuſi, ex tritico & hordeo compoſita ſit; etſi quod-

quodvis granum, vel tritici vel hordei, rurſus in partes ſecari poſſit. Et fruſtranea eſt acribologiæ affectatio in *Reſponſione*, quæ ſæpe expresſiones meas corrigere audet, quaſi non ex meditatione diutina, ſed tumultuaria ſcriptione profectas.

(4) Ego ne umbram quidem rationis invenio, ex qua ſequatur, dari poſſe corporis partes, quæ nullas rurſus partes habere poſſint. Ad doctrinam de miſtione Ariſtotelico-Scholaſticam res illa nullo modo facit, quamvis nunc nolim diſputare, an ipſe Ariſtoteles eam ad rem facere putarit.

(5) Sententiam noſtram, de perpetua diviſibilitate probatione deſtitutam, cenſet *Reſponſio*. Quaſi non pro ea extent libri pleni demonſtrationibus. Et *Animadverſio* obiter & paucis argumentum allegavit, quod ſicco (ut ſæpe fit) pede prætéritur in *Reſponſione*. Nempe quod *Lineæ rectæ* hæc natura & propietas reciproca eſt, ut ſit linea, in qua pars eſt ſimilis toti. Itaque aut negandum eſt, eſſe in rerum natura veras lineas rectas, aut dicendum, quamlibet lineæ rectæ partem, rurſus habere partem; quod intendo.

(6) Contendit *Reſponſio*, actualem cujuslibet partis ſubdiviſionem eſſe ſupra omnem conceptibilitatem; quia ſcilicet conceptum cum imaginatione confundit. Eodem modo incommenſurabilitas lateris & diagonalis eſt ſuper omnem imaginabilitatem, etſi indubitata demonſtratione conſtet, atque adeo conceptum verum habeat. Ille parum conſiderat motus fluidorum, qui actualem cujuslibet portionis ſubdiviſionem negat.

Ad XVII. Exceptionem Replicatio.

Quod autem No Vto monetur, ſicco pede præteriri illud, quod de linea recta tactum ſit; paucis rem expeditam dari poſſe, confido. Primo enim ſermo hic eſt de *mathematicis* reſpectibus, ad *phyſicos* referendis; ſecundo de *diviſibilitate in infinitum*: præſertim autem *phyſici* corporis. Lineam *mathematicam*, utpote *latitudine* & *profunditate* carentem; imo *corporea* longitudine deſtitutam, non ſolum in infinitum, ſed

ſed ne quidem in ullam partem dividere poſſibile eſt: niſi ſolo *confuſo* & vere *imaginario* conceptu. Quæ certe res ſpeculatores circa hoc objectum perpetuo deludit. Siquidem vera & realis *continuitas* ullius lineæ *mathematicæ*, numquam tollitur, circumſcribitur, nedum rumpitur, quicquid etiam *corporeum* in mediam illam incidat: dum utique per totum & univerſum illud corporeum *dimenſum*, ſive rectæ, ſive curvæ mathematicæ lineæ integritas, neque *loco*, neque *ſitu*, neque *longitudine*, neque ullis *finibus* mutari poteſt. Quæ veritas etiam in genere de *ſpatio*, ſecundum omnes dimenſiones corporis intra illud poſiti, deberet utique omnibus ſpeculatoribus notiſſima eſſe: nempe quod ſpatium abſolute ſit indiviſibile: dum utique, quicquid intra ipſum vel fingi poteſt, demum corporaliter produci, vel in illo collocatum agnoſcitur, propriis terminis circumſcriptum: illud omne tamen, ſpatium ipſum numquam circumſcribit aut dividit, divellit, aut ullo modo diſtinguit: quo minus idem ſpatium, ibidem maneat, ſit, & immutatum perſtet, ſive præſente illa, ſive abſente, ſive translata finita illa corporea quantitativa menſura. Quæ certe veritas, ſi Dn. Autori, uti citra controverſiam notiſſima fuit, ita etiam hic memori mente ſediſſet; fieri non potuiſſet, ut in hac allegatione lineæ mathematicæ, ullam, nedum, ut videtur, eximiam ſpem poſuiſſet.

Deinde, quum linea mathematica, ſecundum ſuam longitudinem adeoque rectitudinem, non dividi poſſit in quotascunque partes, niſi ſimiliter per lineas mathematicas: quæ tamen latitudinem nullam habere ſupponuntur; Unum e duobus verum eſſe oportuerit; nempe vel 1) quod vera & actualis diviſio, ne quidem una, nedum in infinitum, ſecutura ſit: vel 2) recta linea, tantundem diviſionis paſſura ſit, per transcurrentem curvam, quam per aliam rectam. Quod, ſi contingere concipiatur, vel punctum illud interſectionis a curva, prorſus in nihilum redigetur; adeoque punctum illud rectum rectæ lineæ, penitus ſublatum, priſtinam rectam, non in infinitum, ſed in manifeſto finitum, diviſam dabit: aut, punctum concurſus rectum, cum puncto transcurſus curvo,

curvo, in infinitum, pari contumacia perſtans manebit. Quod quidem per me licet.

Sin autem ſecundo, ulla *pars*, ut vocat Autor, *lineæ rectæ* in rei veritate ita *ſeparata* fuerit, a tota *longitudine* lineæ, ut tamquam *recta*; dico hæc *particula commenſurari*, aut *pro commenſurata* concipi debeat: iterum cauſa cadet *Diviſibilitas* in infinitum: dum, quicquid ita ſeorſim *commenſurandum*, integritati lineæ totius exemtum fuerit, *finitam* illam reddet. Certe vero, ſive me ipſum feriat, ſive alios, firmum manebit perpetuo illud Comici: *næ, faciunt homines intelligendo, nihil ut intelligant.*

Quid autem ſecundum univerſas has juſtisſimas, imo neceſſarias conſiderationes, de fundamento aſſertionis illius, quomodo *mathematica non differant a phyſicis*, ſtatuendum ſit, cujuslibet idonei arbitri proprio judicio permitto.

Confuſio illa *conceptus*, cum *imaginatione*, quam Dn9 Autor metuit, imo potius determinat, a me commiſſam eſſe; ego eodem jure metuo, ne alios quoslibet confundat. *Diſtinctum* enim, *definitum* & *determinatum* conceptum ego ab *imaginatione firma* & recte *determinata* diſtinguere numquam perdiſcam. Sicut enim *imaginationis* vox, abſolute *Grammatico* ſenſu, certam atque *definitam ideam*, ſeu *figuralem* aut ſub *figura affectionem* deſignat: ita nihil usquam, non ſolum *phyſici*, ſed ne quidem ullo ſenſu *moralis* mente concipi, ſeu *definite* comprehendi poſſe agnoſco, niſi ſub *exemplo figurabili*: non ſolum, ut in ſcholis loquuntur, in *concreto*; ſed omnino in *individuo*: nempe ad minimum *vago*, imo *ficto*, adeoque arbitraria quidem, ſed tamen *figurabili*, ſeu *imaginativa* repræſentatione. Quo in negotio, ſi quisquam aliter concipere posſe ſibi videatur; per me jus fasque eſto.

Ad XVIII.

(1) Quæ in defenſione habentur de liquidis regni animalis coctione indureſcentibus, etſi humido non evaporante, laudo. Interim conſideratu quoque dignum eſt, quod ſpiritus vini etiam coctionis effectum præſtet. Pinguedinem

 in his

in his animalium liquoribus latere aſſerit *Reſponſio*, quod vellem probari experimentis. Nam de cetero veriſimilius videtur, tantum eſſe diſcriminis inter pinguedinem animalis & albumen aut ſimilia, quantum inter ſpiritum ardentem & ſpiritum cornu cervi vel ſimilem.

(2) Quod glutina animalium coctione eliqueſcunt, frigore in gelatinam abeunt, non video, quid peculiare habeat; cum & vegetabilium quidam ſucci calore eliquati, frigore, in reſinam aut picem concreſcant; & in regno mineri ſucci & reguli excocti frigore congelentur.

Ad XVIII. Exceptionem Replicatio.

Ad XVIII Exceptionem, non video pretium operæ, quicquam reponendi. Unde nequidem mirabor, quod de rebus *chymicis* decreturus, experimento probatum dari optet, quod in *glutinoſis* liquoribus animalium, (multa) *pingvedo* lateat. Quum ejusmodi *glutina*, qua talia, ſimplici combuſtoria deſtillatione ſupra omnem proportionem ullius alterius conſiſtentiæ, pinguedinem exhibere, vel famuli pharmacopæorum ſciant. Nedum ut ex illis, quæ no. 2) afferuntur, quidquam hariolari valeam, ad rhombum, dum *facta* producuntur, in quæſtione de *jure*, ſeu *cauſis*.

Nempe, ſi quæ chartæ, nedum temporis eſſet reverentia, diſcurſationibus talibus extra oleas, quam diſcurſibus, præſtaret abſtinere. Nam a fundo diſputationis, diverticulis talibus, vel abire, vel abducere velle, inane certe eſt tentamen.

Ad XIX.

(1) Quæ hic habentur de animæ poteſtate in morbos, non carent ingenio, & habent aliquod plauſibile, imo & aliquid veri & utilis. Miſcentur tamen multa obſcura & precaria, & quicquid illis per phænomena firmari ſive ullo influxu animæ mechanicas leges corporum turbante explicari poteſt, quoniam omnibus animæ perceptionibus & intentionibus, corporeæ figuræ motionesque reſpondent,

ex

ex quibus effectus in machina ſequuntur, quos proinde actuationi animæ ratione quadam plus quam Mechanica influentis, tribuere nihil neceſſe eſt. Quemadmodum etiam aliunde conſtat, fieri omnino non poſſe, ut talia ab anima præſtentur, niſi animam ipſam pro corpore tenui habeamus. Utilis interim hæc animæ phathematum conſideratio eſt, quia ex iis cognoſcere poſſumus multa, quæ in corpore fiunt, cum anima nobis ſit corpore notior; & efficere etiam multa, quæ in corpore producere volumus. Nam effectibus excitatis aut ſopitis per cauſas morales in anima, effectus phyſicos per cauſas phyſicas reſpondentes in corpore obtinere licet. Itaque non raro praxis *aſſertionis* ſtare poteſt, etſi theoria vacillet. Quod etiam de multis aliorum Medicorum doctrinis dici poteſt. Nam praxis phænomenis inædificari debet; theoriæ non raro hypotheſibus & conjecturis conſtant.

(2) Non putem omnia animi pathemata inordinatam & erroneam intentionem continere, etſi ſæpe noceant, dum animum a cogitationibus majoris momenti avertunt. Quin potius neceſſarios affectus cenſeo, artisque eſſe, illis tanquam ſtimulis uti ad bona, tum morali, tum etiam phyſico ſenſu; phyſico inquam, ut fecit Medicus, qui ad obtinendam laxantium efficaciam, langventem patientis ſui, hominis ad modum ſtoici, bilem excitare tentavit, id diu fruſtra agens, ut domeſticorum peccatis ad iram commoveretur. Febres interdum terrore pulſas conſtat, ſed raro juvat, plerumque nocet terror, quod maxime in peſte patet.

(3) Neſcio an injuriam fecerim autori, quod eius ſententiam, qualis illa eſt de cauſa ſphaceli in homine ob inordinatos hominum affectus; conjecturam appellavi. Certe nuda narratio hiſtorica non eſt. Et ſphacelo, opinor, non minus fortes, quam timidos obnoxios eſſe.

(4) Homines animo leves etiam illi appellari poſſunt, qui facile moventur; ac proinde etiam inquieti, & temerarii

eſſe ſolent. Hi an magis obnoxii morbis, ut defenſio innuit, inquirendum. De timidis & anxiis fateor, eos mala ſua augere cogitatione triſti, cui etiam languor motuum corporis reſpondet.

Ad XIX. Exceptionem Replicatio

Tandem autem decima nona hac Exceptione, reditus in viam, tanquam ἀπὸ μηχανῆς, læta ſpes oſtenditur; ſed intra paucas ſolum lineas, propemodum evanida. Male habuerat paulo ante, quod non *cum multa præmeditatione*, imo *diutina*, dicta accipi videantur, quæ prolata fuerant; indulgemus interim nobis hanc libertatem, de aliis idem hoc ſtatuendi: imo, quod certe plus eſt, ſine intellectu omnia in publicum ipſos proferre, demonſtrandi. Hic vero nequaquam eadem chorda oberratur; ſed liberaliter conceditur, quod *non ingenio careant*, ſed aliquid *plauſibile* habeant, imo aliquid *veri*, & *utilis*, quæ a me in ſcenam producta fuerant. Hic certe tempus fuiſſet, & plane genuinus locus, ad litteram exprimendi, *quid horum* placuerit, & *quam ob rem*: tanto magis, cum hæc *argumenta*, imo *documenta*, totum illum diſceptationis *nodum Gordium*, acuto ictu diſſolvere minetur.

Tantum autem abeſt, ut hoc agere in animum inducere potuerit Dn. Autor, ut potius pro more, nihil aliud afferatur, quam *ſimplex negatio*, quod *anima* directum *actum* aut *effectum* hic præſtare poſſit; adverſus meam deductionem: & e contra, *ſimplex affirmatio*, quod omnes illos actus & effectus, ab *ipſa corporea machina*, & aliunde ipſi *inſito* adeoque *proprio Motu*, hæc fieri, non ſolum pro certo habendum ſit: ſed etiam facillime & plane commode intelligi & comprehendi poſſit. Specialiora vero, quæ ſequentibus numeris attinguntur, deductiones meas circa illa ſubjecta, plane non recte aſſumtas eſſe, oſtendunt: & præterea non niſi decerptas occaſiones aliquid loquendi, innuunt. Unde potius ad ſequentia pergere libet, ut totus cardo, *nudi* potius *diſſenſus* talis, quam

diſpu-

diſputationis, per juſtas probationes, exceptiones, & firmas concluſiones, tanto magis agnoſci poſſit.

Ad XX.

(1) Placet quod *Reſponſio* ſtrictius aſſertionem explicat, quæ a me laxius accepta erat.

(2) Quia omnibus motibus vitalibus animales reſpondent perceptiones & appetitus animæ, neceſſe eſt, hos eſſe admodum multiplices; Cum enim magna ſit motuum vitalium multitudo, neceſſe eſt, etiam eſſe confuſos ſeu obſcuros, ut adeo a nobis ob multitudinem & aſſvetudinem non animadvertuntur: idque videtur agnoſcere *Reſponſio* cum fatetur, perceptiones has & appetitiones non eſſe figurabiles & phantaſiæ aut memoriæ ſubjectas, itaque apparet, a *Reſponſione* magis affectari hic diſſenſum, quam inveniri. Dici quidem poteſt finem eſſe ſimplicem, nempe, conſervationem ſui; media quoque generatim ſumta pauca, nempe nutritionem & ſecretionem debitam. Sed hoc perinde eſt, ac ſi quis contenderet cum quodam duce bellico, nihil eſſe facilius, quam finem bello imponere; ajebat enim, tantum opus eſſe, cædi Gallos, ac deinde Lutetiam iri. Finis ſimplex eſt pax; media non minus ſimplicia, hoſtes prælio ſuperare, urbes eorum primarias capere; ſed quam multa hic requiruntur media mediorum? ita etiam innumerabiles requiruntur motus vitales partiales, ut nutritio & ſecretio recte fiant, & his omnibus & ſingulis corporis motibus appetitus, etſi non animadverſi, in anima reſpondent.

(3) Miror, quod ait *Reſponſio*, tonitru, tormenti exploſionem aliosque fragores, non contremiſcendi aut percellendi quadam efficacia corpus, ſed mentem anxia cura concutere. Nam non percelleretur anima his fragoribus, niſi organa corporea valde afficerentur; nec eſſet terror in anima, niſi etiam magna eſſet turbatio in ſpiritibus ſeu materia tenui, animæ quam proxime reſpondente. Nec in terroribus ſubitis cura anxia locum habet, quippe quæ tempore indiget.

 Nec

Nec fictiones & phantaſmata inania percellerent animam, niſi organa & fluida cum organis communicantia valde commoverentur. Itaque miror, contradici communi ſententiæ per phœnomena, quæ ex illa quoque facillime explicantur. Sed tanti erat diſſentire.

Ad XX. Exceptionem Replicatio

Quod aſſertio mea, antea in dubium vocata, hic demum *ſtrictius* explicetur, & non in ipſo prolixo meo ſcripto, tam in theſi, quam univerſa hypotheſi, abunde explicata, confirmata, imo demonſtrata præſto fuerit; adeoque Dn. Autor non potuerit, aut debuerit, illam jam tum quoque, non *latius*, ſed prout jacebat, accipere, adeoque nihil fundata dubitatione ſuperſedere: ſi res ipſa non loquitur, ego ultra perorare, operæ pretium non duco. Unde quidem piget tempus perdere ſupervacuis repetitionibus, jam abunde, & vix non ad nauſeam, memoratorum. Illud unum tamen, ad minimum animi gratia, & temporis fallendi cauſa, no. 2. allatum, non poſſum non interpretari: quaſi verior ſententia a me ſtabilita, non tam greſſu præcipiti, quam ruina, velut ab intentione nuda, ad exitum prolabatur, ſine inventione, ſeu mediis, uti abſolute neceſſariis, ita exquiſite idoneis. Quod certe non aliunde excidiſſe potuit Dno Autori, niſi ſimpliciter a faſtidio, rem in plano poſitam, intuendi: ſed potius ſuis opinionibus mordicus inhærendi.

Quid enim ſimplicius mente concipi poteſt, quam ordo non ſolum atque nexus, ſed etiam pondus, *influxus cauſalis*, planiſſimo greſſu procedens, ut *principium*, & 1) *poteſtatis* movendi compos, 2) & *ordinis* rectiſſime movendi conſcium: 3) & *finis* per motus, tanquam formale medium, legitime obtinendi, non ſolum gnarum: 4) ſed ipſum ſolum etiam illius *finis appetens*: 5) per *media*, ad *quoslibet* Motus, pro tali fine neceſſarios, recte conformata, & ad *motum iri* habiliſſima: 6) *poſſit* etiam actus, ad illum *finem* pertingentes, planiſſimo proceſſu exequi: adeoque finem illum aſſequi.

Quis-

Quiſquis in hoc proceſſu, jocularem illam perplexam ſimilitudinem invenire potuerit, nimio majore meditationis acumine pollere, ſine contradictione laudandus erit, quam tales dubitationes oſtendunt.

Paris ponderis eſt illud no. 3. de *fremebundo*, ſeu *tremulo*, *phyſice* tali, Motu, a vehementi *ſonitu*, corporeas partes ſenſoriorum percellente. Mihi ſermo erat, de *moraliter trepida*, *anxia*, *timida* perculſione *mentis*, omni directo intuitu, abſolute *vana*: nedum cum *phyſico* illo tenero *tremore* corporearum partium, ullam *ſimilitudinem*, aut *proportionem* habente. Numquid vero hic *diutina meditatione* opus fuiſſet, ad argumentum ſimpliciſſimum prehendendum, quod hujus toni *Exceptionem* certiſſime ſuppreſſiſſet: nempe, quod ex illa *ratione*, quam exceptio tanti facit, ut ejus mentionem injicere non piguerit, omnes homines, *toties*, *quoties tormenti* aut *tonitru* ſonitus, contingit, toties inquam, etiam *eadem animi perculſione*, inevitabiliter affici deberent. Nedum, ut a nudis *fictionibus mentis*, organorum quoque, & fluidorum, nempe (juxta præſens inſtitutum,) præcedanea commotio, in mentem venire debeat.

Unde certe non valde ſerium ſolum, ſed juſtiſſime triſtem eſſe oportuerit, qui in me quadrare viſum Dno Autori, ſerio legat: *tanti erat diſſentire*!

Ad XXI.

(1) Dixerat *Animadverſio*: animam nihil poſſe imperare machinæ non ſponte facturæ. Hoc non ita explicandum eſt, tanquam ſenſus ſit, animam nullum motum corpori imprimere poſſe, ad quem non aptitudinem habeat; Sed ita potius, ut verba jacent: quod *Reſponſio* tandem agnoſcit. Nempe anima non poteſt violare leges naturæ corporeæ, nec corpus leges animæ: Corporum leges ſunt leges motuum, animarum leges ſunt leges appetituum. Anima quidem eſt Entelechia corporis animati, ſed ita, ut omnes operationes in corpore mechanice exerceantur. Itaque neque

per-

per paſſiones animæ mutantur motus ſpirituum, neque viciſſim, ſed ſponte conſentiunt inter ſe, ut anima per ſe conſiderata per cauſas finales ad ea tendat, ad quæ machina corporea per ſe ſpectata pervenit per cauſas efficientes; & nunquam anima auget vel minuit gradum celeritatis, aut etiam directionem ſpirituum mutat; alioqui violaret leges naturæ; & induceretur aliquid inexplicabile. Hæc jam publice expoſita, & aliquoties contra objectiones inſignium Virorum propugnata, credo nunquam oculos Dn. Aſſertoris ſubiiſſe, & ideo obſcuriora ipſi viſa.

(2) Hujus doctrinæ ratio eſt, quod meo & multorum aliorum judicio anima omnis, ſive humana, ſive alia quæcunque, quæ vere nomen hoc meretur, id eſt, quicquid revera percipit & appetit, eſt ſubſtantia non extenſa, neque partibus prædita, neque adeo naturaliter producibilis aut diſſipabilis; ideo a me etiam Monadis nomine appellari ſolet. Cum autem nulla ſit proportio, inter talem ſubſtantiam, & materiam corpoream, neque ulla connexio concipi poſſit, inter appetitum talis ſubſtantiæ & materiæ motum; hinc alterutrum ſtatuendum eſt; vel cum plerisque Cartetianis, Deum ſeſe quodam velut pacto obſtrinxiſſe, ut in corpore produceret, quæ poſtulant appetitus animæ, & in anima ea, quæ exigunt motus corporis; vel potius per harmoniam a Deo ab initio præſtabilitam, appetitus animæ, & motus corporis inter ſe conſentire. Idque patet non fuiſſe Deo difficile; poſito enim, omnia in corporibus oriri ex motibus præcedentibus, & omnia in anima oriri ex appetitibus præcedentibus; ſuffecerat una vice exacte conſpirare appetitus animæ, & motus corporis, ut perpetuo conſpirarent. Licet autem corpus multa patiatur ab externis, tamen illa quoque in ipſo corpore jam dudum occulte involvuntur, ob περιχώρησιν rerum, ſeu communicationem corporum, & diviſionem actualem materiæ in infinitum; ſupponitur enim, omnia plena & nonnihil fluida eſſe, atque adeo quidlibet a quolibet, quantumvis diſtante pati: Itaque quælibet Monas, non tantum ſui corporis, ſed & totius univerſi

ſpecu-

ſpeculum eſt, cum & in corporis cujusque motibus, totum univerſum exprimatur, non quaſi ei ſimile ſit, ſed ut circulus etiam a parabola & linea recta in projectionibus gnomicis comice exprimitur; dum ſcilicet, ex parte quavis totum, tanquam leo ex ungue cognoſci ab Omniſcio poſſet. Hinc etiam præſens gravidum eſt futuri, ita & futurum ex præſente, ab omniſcio colligi poſſet, idque non in toto tantum univerſo, ſed & in quavis ejus particula; atque adeo tandem in Monade quoque ipſa, ſeu in ſubſtantia ſimplice.

(3) Interim verum manet, Animam eſſe activum, Materiam per ſe ſumtam ſeu primam, eſſe paſſivum, atque adeo Animam eſſe Entelechiam corporis; & materiam ab anima actuari, ſed non aliter, quam ſecundum mechanicas leges. Unde etiam ſæpe a me monitum eſt, etſi omnia in materia fiant mechanice, principium tamen formale motus & mechanismi non in materia, ſed in ſubſtantia immateriali conſiſtere, principium inquam formale, neque enim hic de primo principio efficiente, nempe Deo, ſermo eſt. Et quemadmodum figuræ ſunt modificationes rei mere paſſivæ, nempe materiæ ſeu potentiæ paſſivæ primitivæ; ita impetus ſeu vires derivativæ, ſunt modificationes rei activæ, nempe Entelechiæ, ſeu virtutis activæ primitivæ. Omnes enim modificationes cum ſint accidentales & mutationi obnoxiæ, limitationes quædam ſunt rei ſubſtantialis & perſiſtentis, nihilque novi addunt ſubſtantiæ, quod poſitivum ſit, ſed limites tantum ſeu negationes, alioqui omnibus mutationibus Creationes ineſſent.

(4) Diſtinguo ergo Entelechiam primitivam ſeu animam, quæ perſtat, ab Entelechia derivativa ſeu impetu, qui varie mutatur. Impetum autem rurſus diſtinguo a motu: Eſt enim impetus ſeu vis derivativa res revera exiſtens, at motus nunquam exiſtit, cum nunquam partes habeat ſimul, ſed conſiſtat in ſucceſſione ut tempus.

(5) Et licet Entelechias primitivas non attribuam niſi corporibus organicis, tamen omnia corpora entelechias pri-

 mi-

mitivas continent; quia etiam continent in ſe corpora organica, etſi nobis non ſemper perceptibilia. Quod etiam Sapientiæ autoris ſummi conſentaneum eſt, ut nullum revera ſit chaos in materia, nihil inordinatum, nihil machinæ, organorum, ordinis, finis expers. Ex his facilius credo fontes eorum, quæ hactenus in *diſcurſo objectorio* & *replicatione ad Reſponſionem* dicta ſunt, percipientur; intelligeturque plus in iis connexionis eſſe, quam prima ſpecie apparuit.

(6) Humanæ autem animæ ſimul ſunt Mentes, nec tantum ſpeculum ſunt univerſi corporei, ſed & ipſius Dei; a quo univerſum fluxit; quia non tantum habent perceptiones & ſenſiones, ſed etiam intellectum, ſeu cognitionem veritatum externarum, quarum nexus ratiocinationem facit; Animarum enim brutorum operationes internæ per meras conſecutiones empiricas ſeu inductivas explicari poſſunt. Nec magis abſurdum eſt, animas brutorum perſiſtere, quam Atomos Epicurei vel Gaſſendi, etſi revera nunquam anima naturaliter ſit ab omni corpore ſeparata, ſed ſemper corpus aliquod organicum retineat, ſtatui, in quo manet, conveniens.

(7) Sed dicet aliquis, dubitari poſſe, an dentur tales animæ Entelechiæ primitivæ; Pythagoræ quidem, Platoni, Ariſtoteli, Scholaſticis, & nuper Carteſianis agnitæ; ſed a Democrito, Epicuro, & noſtris temporibus a Gaſſendo (ſaltem extra humanam animam) rejectæ; Sed multis rationibus aſtruuntur, nam non darentur compoſita, niſi darentur ſubſtantiæ ſimplices, atque adeo extenſione carentes; nec impetus & motus darentur, niſi hæc accidentia eſſent modificationes rei alicujus per ſe activæ, qualis non eſt materia, per quam nihil aliud intelligo, quam exſtenſum reſiſtens ſeu antitypia præditum. Præterea non poteſt explicari, quomodo ex ſola extenſione & antitypia, id eſt mere paſſivis, actiones, & quidem non tantum actiones externæ ſeu motus, ſed etiam actiones internæ, velut perceptio, ſenſio, intellectio, & his reſpondentes appetitus, derivari

poſſint:

poſſint; omnes ergo operationes tribuere oportet ſubſtantiæ activitate præditæ; & internas (quæ a partium multitudine non dependent, & in ſingulis æque locum habent,) non niſi ſubſtantiæ ſimplici, ſeu extenſione carenti. Internæ autem actiones ſunt perceptio & appetitus. Et *perceptio* quidem figuratio, ut ſic dicam, ſeu repræſentatio eſt compoſiti in ſimplice multitudinis intellectus: ut angulus jam repræſentatur in centro ſeu inclinatione exeuntium linearum: & *appetitus* vero nihil aliud eſt, quam tendentia ad novas perceptiones: Senſus autem & intellectio (ex qua pendet voluntas) ſunt ſpecies perceptionis nobilioris.

(8) Nunc ad contraria venio in *Reſponſione* contenta. Primum reſpondetur, animam non poſſe imprimere gradum, niſi qui corporis diſpoſitioni quadret. Sed replico, omne corpus capax eſſe celeritatis quantæcunque; neque adeo rationem reddi poſſe, cur non anima majorem aut minorem corpori motum imprimat, aut certe imprimere poſſit. Itaque manet collectio proba, quod nulla reddi poteſt ratio, cur non corpus ad quantamcunque altitudinem ſaltare poſſet, ſi vi animæ ſaltat; poſito ſcilicet, animam eſſe ſubſtantiam incorpoream & tamen movere corpus.

(9) *Reſponſio* contra ſtatuit, proportionem eſſe inter corpus & animam, quia anima ſit in corpore, & ſocietas ſaltem ſit inter animam & corpus, ſocietatem autem exigere proportionem. Sed ut nunc non diſputem, an & quatenus anima ſit in corpore, ut in loco, nego ex tali ſocietate ſequi proportionem. Etiam linea & ſuperficies ſunt in corpore, & quandam habent ſocietatem, nec tamen datur proportio inter motum & extenſionem, nec inter locum & tempus; ut alia multa hujusmodi taceam toto genere diverſa & tamen ſociata.

(10) Eſſentialis (fateor) Animæ humanæ operatio eſt, rationem & voluntatem exercere; ſed alias præterea operationes exercet cum animabus brutorum communes. Interim nulla eſt proportio inter rationem & motum, quia ratio pro objecto eſſentiali habet conſequentias veritatum,

 quæ

quæ in unoquoque motus gradu æque locum habent. Et cum veritates etiam de rebus divinis incorporeis, æternis, intelligi queant, non video, quo jure defendi poſſit, nullum aliud rationis objectum eſſe, quam res corpori inhærentes, figurabiles, locabiles. Itaque miror, quomodo in *Reſponſione* dici poſſit, nihil horum eſſe verum, niſi conſiſtat in corpore, & reſpectum habeat ad corporeitatem.

(11) Verum eſt animam velle proportiones, ſed oportet etiam, ut adſit ratio determinans proportiones, ea autem in corpore nulla eſt, cum ſit cujusvis proportionis capax. Et ſi quis proportionem ſumi ponat ab eo, quod corpori eſt utile (quanquam hæc ratio moralis ad phyſicum effectum non ſufficiat) ſequetur, animam ſemper ſatis potentiæ habituram ad omnia corporis incommoda ſuperanda, denique aliud ſunt proportiones, aliud magnitudines, nam poſſunt eædem manere proportiones, auctis quantumvis magnitudinis.

(12) Anima eſt ens finitum, fateor, ſed hinc non poteſt determinari, qualisnam ſit finitus ille gradus motus, quem efficere debet. Unde producet plane nullum, niſi ſcilicet quem leges mechanicæ ferunt.

(13) Anima eſt ens finitum, at non circumſcriptive, alioqui haberet figuram; ſed perfective quoad perceptiones, quæ in DEO omnes ſunt diſtinctæ, in cæteris vero percipientibus, nempe in ſpiritibus & Animabus, ſunt plus minusve confuſæ, pro gradu perfectionis. Sed quia eadem perceptio eſt motus plus minusve celeris, ſi omnia proportione aucta minutave intelligantur; hinc ex perceptionibus animæ gradus celeritatis in corpore determinari nequit, uti ex repræſentatione exigua palatii magni in ſpeculo convexo exhibita, non determinaretur magnitudo palatii, niſi alia accederent, quæ in anima locum non habeant; velut figura ipſius ſpeculi & diſtantia a palatio.

(14) In Anima optime concipi poteſt perceptio & appetitus, ſed non quomodo inde oriatur in corpore motus, per quem

appe-

appetitus impleatur, niſi ſcilicet ope mechanicarum legum.

(15) Dicit *Reſponſio*, efficere animæ inconſtantiam & impotentiam, ut deſideratum incorpore non obtineat. Sed animæ imperfectio non conſiſtit, niſi in modo percipiendi & appetendi, nec certo obtinet finem, niſi cum omnia media ſufficienter percipit appetitque, quo caſu etiam media illa, motus ſcilicet congrui in corpore jam tum reapſe inveniuntur, alioqui ab anima non perciperentur. Hæc Cauſa eſt vera & probe intelligibilis, cur anima intentum obtineat, aut non obtineat. Cum contra nullo modo concipi poſſit, quomodo anima corpus moveat, legesque motuum violet, gradum directionemque celeritatis in corpore exiſtentis immutando.

(16) Aſſentior *Reſponſioni*, non omnia hominis ſolum cauſa facta eſſe, & omnium Organicorum proprios fines agnoſco: generatim autem ſentio, omnia omnium cauſa facta eſſe, etſi plus minusve pro cujusque dignitate vel aptitudine. Aſſentior etiam, nullum eſſe corpus Naturæ organicum omni Entelechia primitiva ſeu Monade actuatrice (quæ ampliore ſenſu anima appellari poſſit) perfecte caſſum, nec ullam eſſe animam naturaliter ab omni corpore organico ſeparatum.

(17) Sed non quævis pars corporis organici corpus organicum eſt: ideo, etſi motum aliquandiu retineat cor ex corpore avulſum, non ideo hinc probatur, cor eſſe corpus animatum, ſufficit enim nudus mechanismus ad hunc motum nonnihil continuandum, etſi perceptio & appetitus abſint. Animam certe animalis dividi in partes, & pro parte in corde evulſo manere, quod innuit *Reſponſio*, quid aliud eſt, quam animam talem eſſe corpus? illud verum eſt, cordi & cuivis parti corporis animati, imo & cuilibet maſſæ, corpora organica completa, etſi plerumque inſenſibilia, ineſſe, eademque eſſe animata ſeu per ſe actuata. Et niſi hoc eſſet, materia ubique actuata eſſe non poſſet, nec ipſe Mechanismus locum haberet.

 (18) Sed

(18) Sed ſi Animam ſtatuamus extenſione carentem, adeoque ſubſtantiam ſimplicem; eo ipſo ſequitur, eſſe indefectibilem, quod non minus de brutorum anima, quam humana affirmari debet. Etſi humana peculiari ſenſu immortalis appellari debeat, quia non tantum ſubſtantiam ſuam, ſed et conſcientiam ſui ſervat, adeoque præmii & pœnæ eſt capax.

(19) Sed qui immortalitatem Animæ ex ſolo fidei lumine & divina gratia (id eſt miraculoſa & extraordinaria operatione) derivant, Theologiam naturalem debilitant & plurimum Religioni nocent, cujus primaria & perpetua capita (velut providentia Dei, & immortalitas animæ) ratione niti debent.

(20) Quod vero objicit *Reſponſio*, quæ naturaliter incipiunt, naturaliter deſinere poſſe; recte pronunciatur, non recte objicitur: nam dicendum eſt, ſubſtantias ſimplices nec incipere nec finire naturaliter.

(21) Cum omnia in corpore mechanice fieri ſtatuo, non ideo exquiſitas pororum figuras intelligo, ſed plus hic motibus, quam figuris tribuo.

(22) Reſponſio tandem huc deſcendit, ut neget, animam eſſe immaterialem. Hoc admiſſo, fateor, ceſſarent argumenta, quibus oſtendimus, animam non poſſe novum motum novamque directionem dare corpori. Sed quia inde ſequeretur, animam revera eſſe corpus, hinc, quamvis ex falſa ratione conſequens foret (contra mentem *Reſponſionis*) omnia revera mechanice fieri, ſeu per motuum leges. Cæterum argumenta pro immaterialitate aut immortalitate Animæ, quæ *Reſponſio* producit, & refutare ſtudet, longe differunt a meis, pro parte ſupra allatis.

(23) Motum differre a corpore verum eſt, ſed cum nihil ſit aliud, quam loci mutatio, patet non eſſe, niſi accidens corporis, etſi ejus accidentis cauſa ex ſola materia deduci non poſſit. Cauſa motus incorporea eſt; ſed ſubjectum motus eſt corpus. Itaque dicere, motum eſſe rem incorpoream & immaterialem, eſt abuſus loquendi, pari jure dicetur

etiam

etiam, figuram eſſe rem incorpoream. Non motus imprimit efficaciam corpori, ſed cauſa motus. Et mirum profecto videtur, nuper propugnatam fuiſſe Animæ materialitatem, nunc propugnari Motus immaterialitatem.

(24) Mirum etiam paradoxum affert *Reſponſio*, quod Motus res ſit per ſe exiſtens, & quæ ſubſiſtere poſſit, licet corpori non inſit. Hoc eſt, mutare ſenſum terminorum, ſine ulla neceſſitate, nec nomine motus intelligere, quod alii, nempe affectionem corporis; ſed potius Entelechiam ſeu motus cauſam. Mira etiam hæc argumentatio eſt, corpus poteſt ſubſiſtere ſine motu, (quanquam hoc merito negatur.) ergo motus poteſt ſubſiſtere ſine corpore. Quod perinde eſt ac ſi quis diceret, corpus poteſt ſubſiſtere ſine rotunditate, ergo rotunditas poteſt ſubſiſtere ſine corpore.

(25) Neque etiam admitti poteſt, Motum eſſe agens, corpus eſſe patiens. Nam revera Motus non eſt agens, ſed actio. Corpus, quod motum dat alteri, ope motus ſui eſt agens, corpus vero, quod motum accipit ab alio, eſt patiens.

(26) Nec admitti poteſt, cogitationem & raciocinationem eſſe motum, cum ſint operationes internæ ſubſtantiarum ſimplicium, ſeu partibus adeoque motu inteſtino carentium: illud verum eſt, his operationibus animarum ſemper reſpondere congruos motus corporum.

(27) Non ſtatuitur a me, corpus ideo exequi appetitum animæ, quia eum percipit, (nulla enim, me Judice, perceptio corpori tribui poteſt) ſed ideo, quia ad eum exequendum jam tum mechanicis legibus fertur. Quare ceſſat quod hic objicit *Reſponſio*. Illud concedo, ſolis organicis corporibus Entelechiam primitivam ſeu Animam eſſe attribuendam.

(28) Sola figurabilia phantaſiæ ſubjacere quod *Reſponſio* affirmat, non admiſerim, nam & ſonorum, odorum, & ſaporum datur phantaſia.

Ad XXI. Exceptionem Replicatio.

Tandem itaque, Exceptione XXI ſincerius & velut

velut *ex inſtituto*, (an vero *ad inſtitutum*, viderint idonei arbitri,) panditur omnis ſcena: cujus an ego, in proxime præcedentibus, prologum ex veritate egerim, res ipſa oſtendet.

Convulſerat prægreſſarum Dubitationum cohors, vagis inſultibus, primariam illam meam Theſin, *Quod anima ſit vera cauſa efficiens vitalium in corpore Motuum;* quam in hypotheſi, exemplis, tanquam experimentis, a poſteriori, oſtendere; ſed & rationibus, a priori, firmare, tam in ipſo impreſſo ſcripto, cordi habueram: quam in reſponſionibus meis, ad vaga illa dubia, ex abundanti & vere de ſuperfluo, in me receperam.

In diſputatione ordinata, argumentorum thetice prolatorum, ſi de ſenſu recte conſtet, & tamen dubium obverſetur; probatio peti ſolet. Quæ, ſi minus ſatisfaciat, ulteriore explicatione illuſtrari poſtulatur: donec ipſe proponens mentem ſuam totam ediſſeruiſſe videatur. Quando demum, explicatione tota exhibita, dubia reſtare agnoſcuntur, nervum aſſertionis infringentia; proferuntur illa, directe contra asſertionum & probationum illa momenta, quæ vi probandi & conſtituendi deſtitui videntur.

Ita recte, & ordine, aſſertionis cujusque vis & vigor, tanquam ad amuſſim, expendi poteſt, verane, atque firma ſit, an fluxa & male fundata.

Ubi iterum, in diſputatione ſeria & ordinata, nedum utilitate peculiari commendabili, ſatisfactum eſt materiæ ſubſtratæ examini, ſi illa ſufficiente probatione deſtituta, ſolum pro tali declarari poſſit, & defectus ejus liquido monſtrati comparet.

Nequaquam autem ingens illud ſophisma temere permittendum eſt, Reſpondenti (contra quem diſputatur,) ut, ſi ille Theſi ſua deciderit, ab Opponente exigat, ut hic de negotio controverſo, veriorem, firmiorem & luculentiorem ſententiam, aut plenam demonſtrationem, in falſæ oſtenſæ locum ſubſtituat.

Quis enim tam ſimplex eſt., ut non intelligat diverſitatem falſæ ſententiæ pro vera non recipiendæ, &, tanquam

quam neceſſario, aliena opera demonſtrandæ propoſitionis, quam primus aſſertor temere & ſine fundamento in medium projecerat magis, quam protulerat.

Certe licet alias omne ſimile claudicet, putaverim tamen non æque ad eum cenſum referri poſſe, neque adeo tam *ſimile*, quam potius *idem* videri poſſe tale cœptum; quam ſi quis centum thalerorum nexu teneatur, quos ad diem exſolvere pollicitus, cuicunque ſponſori aut mandatario, nummis adulterinis, aut ad minimum fraudulenter numeratis tradere conatus, ab hoc moneatur, non poſſe recipi ſolutionem, per cauſas ob oculos poſitas: tunc ille contendat, ipſum itaque ſponſorem aut mandatarium teneri, debitum illud ad aſſem in iſtius locum exſolvere.

Quanquam hæc ita memorari, ſimpliciori ingenuitati adoleſcentum, logicæ recenti exercitio ferocium, ridiculum videri poſſit; utpote non temere credentium, quod adverſus hujusmodi ſeveras leges, tam audacter impingi queat: monſtrat tamen nimis adultior quotidiana praxis, quod, ſi non ſapientiæ, tamen captioſæ prudentiæ longe diverſæ leges atque methodi habeantur &c.

Ad minimum notiſſima eſt in palæſtris, non tam gymnicis, quam Retiariis illis, circumductio illa circumventoria, ut variis diſcurſationibus in diverſum aut transverſum ſeductus pugil, ex alio ad minimum, ſi non legitime adverſo latere feriri poſſit &c. Si Dubitationum & Exceptionum præſentium, evitatis diverticulis, manifeſtus trames deſcribatur; quid aliud oſtendere poterit, niſi 1) non tam adverſa, quam diverſa fundum totius laboris conſtituere; interceptis autem variis, & ſolum carptim curſoribus, illud imprimis tentatum eſſe, ut hoc tumultu a veri certaminis inſtructa acie averſi ordines, procurſationibus laxati, non tam irruptioni, quam impreſſioni cedere, & totum locum concedere cogerentur.

Tu ais, *ego nego*, antiquum eſt joculare opprobrium ſub nudo diſſenſu, diſputaſſe videri geſtientium. Periculum au-

 tem

tem certe ſubeſſe puto, ne præſens tractatio ſolidum ſit hujus *ἀταξίας* exemplar.

Ego, non ſolum in numeroſis *ſchediasmatibus*, vix non ad ravim, certe ad meam ipſius nauſeam, paſſim inculcaveram; deinde in *ſyſtemate* Theoriæ preſſius profeſſus eram, *rationes*, ipſa ſimplicitate ſua evidentes, quam ob rem ſequar illam ſententiam: *Quod anima humana tam poſſit, quam debeat*, adeoque ipſo facto perpetuo *ſoleat corpus, cui præeſt*, *Motibus* (in tranquillo ſtatu, & nihil turbatis ſuis intentionibus,) non ſolum *afficere* & inſtruere; ſed etiam *recte ad fines* ſuarum (animæ ipſius) *directarum neceſſitudinum*, *ſcite* prorſus, & tam *intellectuali*, quam *intelligibili gubernatione*, *regere* & dirigere *poſſit*, inquam, *debeat*, & perpetuis exemplis *ſoleat*.

Dn9 Autor Dubitationum agnoſcit quidem utique mentem hanc meam in *Theſi*; ſed tamen non amplius, quam *in genere*: non autem *in ſpecie*, nempe *rationes*, pro hac firmanda, tam *prolixe*, quam alibi, ut loquuntur, *conciſe* adductas.

Unde neque has preſſe ſequi, *expendere*, *excutere*, *refellere* aut *evertere* in animum admittit, nedum inducit.

Sed potius ſimpliciter *diverſam ſuam* theſin toti ſuarum Dubitationum manipulo ita præmiſit; ut meas illas, tanquam calones aliquot, inter impedimenta direptos, mox in triumpho producere voluiſſe vix non videri poſſit.

Hoc artificium, præſente Exceptione, adeo nihil diſſimulat, ut potius multa cum prolixitate, ſepoſito *omni*, nedum *juſto ordine* atque *nexu rationum* mearum, nihil aliud agat, quam ut ſuam ſententiam denuo proponat. Nempe

Quod corpus animale non ſolum in ſeipſo exquiſitiſſime inſtructum ſit, *corporeo-mechanica* illa *habilitate*, ad innumerabiles *motus ſubeundos*, quos *anima*, (neceſſariis) *finibus ſuis* obtinendis ab illo *poſtulare* poſſit: Sed etiam *in ſeipſo* præditum ſit *inſitis* talibus *propriis*, & ab *anima* proprie dicta, penitus *diverſis activis Motibus*, quibus *ex* & *per ſe*, in omnes motus, momentaneo conſenſu, cum ſimplicibus *animæ appetitibus conſpiret*, & quicquid ipſa Anima in hoc ordine *velit*, promtiſſime *exequatur*.

Diffe-

Differentia inter has utrasque ſententias fundatur in vera illa diverſitate *Agilitatis* & *Activitatis.* Sententia, quam ego tueor, omnem *Agilitatem* agnoſcit in omnibus & ſingulis, a minima ad maximam, *corporis partibus*; *Activitatem* autem, *Agilitatem* hanc in actum deducendi, & recte *ad fines* ſuos *exercendi* ſoli *animæ* tribuit.

Adverſa ſententia non ſolum *Agilitatem*, ſed ipſam *Activitatem corporeis* organis eo usque vindicare contendit, ut hæc abſolute *per ſe*, & *ex ſe* ipſis, omnes motorias *actiones*, uti loquitur, *faciant*, *efficiant* & *perficiant*: quascunque anima *nudo appetitu innuit*, *indicat* & velut *optat.*

Unde recte repetit Exceptio verba in prima Dubitatione prolata: quod *anima nihil imperare poſſit corporis machinæ non ſponte facturæ;* nempe, quod ipſa hæc machina non ſolum *a ſe* ipſa, & *ex ſe* ipſa *facere*, in *actum* & *effectum* deducere *posſit*; ſed etiam tota in hoc *propendeat*, ut ad *appetitivos* nudos *nutus* animæ *intentionales*, hæc machina *corporali*, ſed tamen *motorio*, & formaliter *motus* actu abſolvendo effectu reſpondeat, obſequatur & exequatur.

Ubi malim, quemlibet alium acutius intelligendo aſſequi valere, quam ego de me umquam ſperare auſim, quo fundamento nitatur illa locutio, quod reſponſio tandem demum agnoſcat, *poſitionem*, *prout verba jacent.* Sunt vero verba totam controverſiam tribus voculis complexa: *non ſponte FACTURÆ.* Hic, ſi vult Exceptio, me *tandem* intelligere aut agnoſcere, quod illa velit, *machinam* omnia illa *a ſe* ipſa & *ex ſe* ipſa, *propria Activitate exequi*, *facere* & *perficere*, quæcunque ſola appetitus *intentione animæ* ſibi concipit: omnium hominum arbitrio permitto, *orationis* meæ, an *acceptionis*, imo *perceptionis* vitio hoc evenerit, ut ego hanc opinionem *non prius*, quam *nunc tandem demum* agnoverim, ſeu agnoviſſe dici meruerim.

Sin autem diſſenſus eſſe deberet, quaſi ego umquam agnoverim, aut *agnoſcam*, quod, *prout verba jacent*, *ita res ſe habeat* de machina *ſponte activa*, & *active factura*; quid attinebat, vel me tot verba perdidiſſe: vel Dnum Autorem, tam huc usque

 perdi-

perdidiſſe, quam ultra perdere delectatum eſſe. Quid enim ſupererat, niſi hoc conceſſo, pro confeſſa habitam, ſtatim addictam ducere meam ſententiam.

Ego vero non certe ita tyro in hac area, ut rete coram expoſito, obnoxium caput objiciam, abſtinueram propterea labyrintho illi, in ipſo veſtibulo Dubitationum collocato inanem operam impendere: ne potius ſimpliciter alienas, quam ultra meis greſſibus paratas ambages, in juſtam viam revocare, geſtire viderer.

Quum autem Exceptio præſens illud ad minimum commodius agat, ut non tam omnes *generaliores* illas, ut mihi videtur, præter rem & neceſſitatem *multiplicatas* res, ſed paulo preſſius ad noſtram rem *deſtinatas* educere ſuſceperit: non poſſum tandem, quin harum quidem vim & vires propius colluſtrem: omnino tamen non ſine comitatu ſelectioris manipuli, pro ſua cauſa militantium anteſignanorum.

Repetit itaque præſens Exceptio propriam ſuam ſententiam ab ovo, quod ajunt; ea tamen cum differentia, ut aliquanto preſſius, *reciprocum habitum corporis ad animam* indicare intendat: & quidem ex ſua hypotheſi *VIVI* corporis. *Vivum* nempe corpus innuit eſſe, & *ſtructura* (ſine dubio etiam craſi-fluidorum) recte conſtitutum: & *inſito*, nempe a materia inſeparabili, *proprio activo Motu pollens.*

Tale corpus *ex* & *per ſe vivum* eſſe, ita ſtatuit, ut ſe ipſum non ſolum *nutriat;* ſed prorſus etiam *propaget:* id eſt, ſibi ſimilia corpora conſtruat atque proferat. Imo, quicquid in hoc tali corpore, *Motibus internis* fit & geritur, ad *productionem*, *nutritionem*, *conſervationem* & *multiplicationem* ſecundum *ſpeciem* ejus hoc univerſum, collectim & ſigillatim, a nullo *alio* principio, proprie *movendo*, aut Motus immediate *modificando* perpetrari, quam ab ipſi materiæ *inſito* illo, & ab illa *inſeparabili* decantato Motu. Breviter, tali *motu*, qui ab *anima* & omnibus ejus *facultatibus* penitus diſtinctus & diverſus ſit: & cui ne *ſimile* quidem quicquam, nedum *par* aut *geminum* anima præſtare aut perpetrare valeat.

Animæ

Animæ vero, pro omni reſpectu ad hoc tale *corpus*, nihil aliud relinquit, quam *duo* illa; 1) *Appetitum*, quales motus, certis temporum momentis in actum deduci *optare* velit: 2) *Animadverſionem* eorum, quæ certis, ſed *ſpontaneis* Motibus circa *ſenſorias* partes corporis geruntur.

Tandem autem *nexum* inter *animam* & *corpus* illum deſignat, ut *corpus* omnes illos *motus*, quos *anima* ſola *intentione* format, appetit & fieri *optat*, ſtatim in actum deducere, *actu præſtare* & perpetrare paratiſſimum ſit, imo promtiſſimum. Hujus autem *obſequii* neceſſitatem ab ipſa *divina inſtitutione*, ſeu *voluntate poſitiva*, corpori & injunctam, & ut fieri poſſit, tributam eſſe, ſancit.

Circa has opiniones, quid adhuc ultra ſtabiliendum eſſe neceſſarium ducam, quantum usquam fieri poterit, breviter allegabo: latius in ipſis Reſponſionibus deductum. Ante omnia expediri debet, quid intercedat inter *appetitum* nude *intentionalem* Animæ, & *motoriam* illam facultatem *corporis*; quod nempe *facultati* huic *intentiones* illas animæ ita *indicet*, imo *indicat*, ut hæc motoria facultas, illo temporis momento *fieri debere* talem Motum, *percipiat*, & hac ratione ad illum actu perpetrandum *excitetur*. Ubi profecto nequaquam ad mentem Dni Authoris „*quod nihil ſtatui debeat, quod non ſatis diſtincte concipi & intelligi posſit*„ ſufficere poteſt ſuppoſitio illa, quod hæc ita fieri, *Deus poſitive voluerit atque ſanxerit*. Nullatenus enim declinare hic poteſt, juſtiſſimam *petitionem* probationis, quod *hoc vere ita ſe habeat*; ut Deus hæc ſimpliciter *ita juſſerit & voluerit*. Deinde, ſi vel maxime hoc concederetur, pugnaret adverſus modo allegatum *ordinem cognoſcendi*, cui Dnus Autor tanquam *fundamento* omnes ſuas Dubitationes inædificat. Dum nempe ita maximus hiatus in illo (*intelligibiliter*) cognoſcendi ordine maneret, quomodo *pure intentionalia* afficere poſſent corpus *mechanicum*, & ex ejus ſententia, *Motus* tales, quorum anima *tota ſua eſſentia impos* eſſe declaratur.

Ubi forte minus neceſſarium fuerit, etiam illam probationem poſtulare; *probationem* inquam, non nudam *ſuppoſitionem*

nem, *abſolute credendam*: qua ratione ipſa *anima*, omnium & ſingularum *habilitatum* corporis ita *conſcia* ſit, ut jam *præcognitum* habeat, quid *appetitibus* ſuis a corpore *optare* & expectare ſibi liceat. Poſſet enim fortaſſis reſponderi, quod longa potius experientia, talia ſenſim & ſucceſſive potius comprehendat: quam ipſa quoque, ab *infuſo* ſibi *habitu*, nempe vere *præcognitam* notitiam hanc poſſideat. Interim tamen non injuſtum eſt dubium, annon ex illa hypotheſi, etiam hoc poſtremum potius ſimpliciter *credendum*, quam prius *agnoſcendum*, cenſeri poſſet. Si enim corpori *abſoluta voluntate divina* impreſſa eſt *perceptio* & *agnitio appetituum animæ*; & quidem non *in genere*, quid a ſe, corpore, illa expectare poſſet: ſed ſpecialiſſime, *quando* & *quoties* appetitum illum format: certe pronius eſſet, etiam *credere*, quod anima cognitione illa, utpote *generaliore*, jam *a priori* dotata ſit, ad quales *motorias* poteſtates corpus *habile* redditum exiſtat.

Interim manet perpetua ubique illa diverſitas inter duos illos reſpectus; quid *credi posſit*: & quod utique ita ſimpliciter *credi debeat*. Quæ quidem difficultas tanto majoris ponderis eſt, dum fundamentum totius ſuppoſitionis concernit: imo illud evertit, quatenus non de *credendis*, ſed *diſtincto intellectu concipiendis* ſermonem eſſe debere, propugnat.

Non autem operæ pretium duco, per varia exempla nervum hujus hypotheſeos examinare: *quoties* & quam *varie appetitibus* animæ corpus nequaquam ita promtum *obſequium* exhibeat, &c.

Progrediar itaque potius ex adverſo, ad breviſſimam delineationem *meæ* ſententiæ repetendam. Omnia quæ in *vitalibus actibus*, nedum *animalibus* recte geruntur, *Motu geri*, agnoſco. Illam vero omnino *inſitam* arbitror *animæ notitiam*, quibus rebus *gerendis* ipſa *deſtinata* ſit, & ad illas gerendum, neceſſaria *facultate* inſtructa.

Jam, ſi *Energiæ Motuum conſcia* ſit, quod certe eſt *judicii* objectum; non poteſt ignara eſſe *proportionis*, inter energiam Motus, & *habilitatem* ſubjecti *Motu afficiendi*: ſeu *Motus* & *Mobilitatis*. Dum itaque ſingulæ partes corporis, inde a pri-

mis

mis punctis phyſicis *conſtruuntur*; quod ipſum etiam *Motu*, nempe *admotione* juſtæ materiæ de puncto ad punctum, ſed per mera puncta phyſica perpetratur: adornatur utique etiam univerſa hæc *ſtructura*, ſecundum illam *proportionem*, quam in ordine *mobilitatis*, ſive ad *Motus*, quibus illa *deſtinatur*, habere debet.

Jam, cum *anima* imbuta eſſe debeat notitia *finium* ſuæ *poteſtatis*; legitime vero, qui dicit *finem*, dicit *media* ad finem facientia: ante omnia vero *proportionem* illorum erga finem: apparet inde, animam etiam inſtructam eſſe debere *notitia proportionum mobilitatis* illorum *mediorum*, quibus ſuos fines aſſequi neceſſe habeat.

E quo ſequi mihi videtur, *probabilisſimum* eſſe, quod anima toti *ſtructuræ* horum corporeorum organorum, imprimis quatenus ad *fines* ejus inſervire debent, *ipſa præſit*.

Jam vero pro *maxima difficultate* declaratur, quod *anima* hoc præſtare *POSSE* a me cenſeatur. Ego vero hanc *minimam* eſſe perpetuo tueor; ex eo, quod *totum* negotium, nulla alia *efficiente*, aut *principaliter inſtrumentali poteſtate* abſolvi poſtulet, quam *Motu in genere*: & ejus recte *proportionata gubernatione in ſpecie*.

Quod autem anima habeat *facultatem Motus* exercendi, ego quidem ſemper exiſtimo, planum eſſe poſſe intellectui, ex eo, quod *Motus*, quomodocunque (etiam *in materia*, ſed tamen non ipſa materia) conſideretur, ſit *ens incorporeum*; eo ipſo, quia nemo contradicit, quod, licet etiam reputetur alligatus materiæ, tamen non ipſe ſit materia.

Quo intuitu, quum in toto univerſo valeat, quod, *qualis eſt effectus, talis etiam ſit cauſa*, *Motum* tanquam rem *incorpoream*, non poſſum ab alia cauſa *efficiente* expectare, quam ab anima, tanquam *ipſa quoque incorporea*.

Quum autem tota hæc diſceptatio, hoc ipſum equidem pro *toto lapide offenſionis* incuſaverit; *duo* certe ſunt, quæ numquam expectaviſſem a Dno Autore. *Primum*, quod hanc ipſam *Theſin*, de *incorporea indole Motus*, & in hoc *animæ* indoli *parallela*; aut mea in hanc rem prolata ſimpliciſſima *argu-*

menta,

menta, numquam directe & *in forma* refellere aut evertere proſecutus ſit; ſed nudis *negationibus* & *tranſitoriis digreſſionibus* ſaltem *averſari*, ſatis habuerit. *Secundo*, quod præter omnem ſpem & opinionem in hac Exceptione *cum induſtria*, ne *prolixitate* quidem faſtidita, *ex inſtituto* hoc agat, ut *veras cauſas efficientes Motuum*, adeoque *neceſſario ipſum Motum*, ut *effectum*, non ſolum *incorporeum* quiddam eſſe, ſtabiliat: ſed inſuper adhuc *incorporeas res*, ad *proceſſum Motus* pertinentes, prorſus *multiplicet*; Ἐντελεχέιαν *derivativam* in hac, aut ex hac (certe *ab illa diſtinctam*) *Vim*, & tunc demum *Motum*. Et omnia quidem hæc, licet ſimplices, tamen *veras ſubſtantias*: nempe res *revera exiſtentes*, & *quamdiu* ſunt, etiam vere *ſubſiſtentes*. Tales quidem *ſubſtantias* a ſe appellari ſolere Μονάδας; quod quidem ipſis, *talibus ſuppoſitis*, valde *priſcum* nomen eſſe, jam propemodum in ipſo limine monuimus, e *Thalete* & imprimis *Pythagora*, juxta *Plutarchum de Placitis Philoſophorum*, *lib. I.* Sicut etiam in progreſſu præſentis Deductionis Dno Autori placet, vocabulum Ἐντελεχείας *Ariſtoteli* quidem quaſi proprium; *Hermolao Barbaro* vero adeo difficile viſum, quod e proprio aliquo diſtincto ſignificatu intelligi poſſet, ut diabolum in obſeſſa habita quæſtione hæc exercere dubitaverit, quid *Ariſtoteles* hoc vocabulo dicere in animo habuiſſe potuerit. Quamlibet fortaſſis haud ita longe petenda videri poſſet *intentio* nomenclaturæ; dum ſimplici vocularum ordine, citra tamen μικρολογίαν Grammatico-criticam, intelligi poſſet *ens*, *perfectionem* ſuam *in ſeipſo* habens; & quidem imprimis intuitu *Activitatis*: quum utique unanimi conſenſu, *Actio* ſeu *Activitas nobilior* & *perfectior* cenſeatur, quam *Pasſio* ſeu *Patibilitas*. Imo quid vetaret, accipere vocabulum pro eo, quod *finem ſuum in ſe ipſo habet*; non tam de *finibus terminativis* capiendo: quam de *fine*, ad quem *tendit*, & hujus *activa proſecutione*, intra ſe ipſum, *idoneis poteſtatibus* habendis: id eſt, de *vera Activa poteſtate huic enti inſita*, ad *fines intentionis* per *inventiones* iſtis obtinendis recte *proportionatas*, *tendendi*, *procedendi*, imo *pertingendi*. Quæ nempe omnia in *animam*, meo ſenſu dicta, recte *quadrant*; dum non ſolum *vult finem*: ſed etiam *per Motus*

eorum-

eorumque *gubernationem*, ad *finem* legitima *proportione* ſcite collineantem, eundem ſectari, &, ſi corporalia media circa *finem* res corporeas ſpectantem obtemperant, etiam aſſequi & exſequi valet.

Unde cujuslibet proprio judicio ſimpliciter permittendum eſt, in quonam XXI. hujus Exceptionis *tertia* periodus, a meis theſibus & hypotheſibus vere in diverſum abeat. *Animam* eſſe *principium Activum*; *materiam, per ſe* ſumtam, eſſe *Paſſivum:* & *materiam* ab *anima actuari:* Sed tamen non aliter, quam ſecundum *mechanicas* leges; id eſt, *ſecundum receptivitatem* ejus, nempe certam *mobilitatem*, ſeu *habitudinem* ad certos Motus *ſubeundos*.

Quod *plus* eſt, imo *plurimum*, quin *abunde; ſæpe a me monitum eſt*, inquit, *etſi omnia in materia fiant mechanice: principium* tamen *formale Motus*, & *Mechanismi* (ego intelligo, *proportionis* materiæ ad Motum, ſeu *Mobilitatis*) *non in materia, ſed in ſubſtantia immateriali conſiſtere: nempe diverſo, a primo principio efficiente, Deo.* Quæ omnia, verba ſunt Dni Autoris. Pergit: *Quemadmodum figuræ ſunt modificationes rei vere paſſivæ, nempe materiæ, ſeu potentiæ paſſivæ primitivæ:* ita *impetus ſeu vires derivativæ*, (non ego „loquor, ſed res ipſa, directio Motus ad hoc certum punctum, „aut complexum phyſicum, corporeum, ſeu initium Motus „in illud; gradus, menſuræ, & ordinis: & quidem in pro„portione ad propoſitum finem: illo impetrato, ceſſatio Mo„tus, aut gradus hujus, in hoc punctum aut complexum cor„poreum, quin etiam, durante tota hac actione motionis, „plena libertas, præſertim ſi finis non exquiſitiſſima ſit cura, „tardius aut velocius, hoc aut illo ordine vel rhytmo, Motus „iſtos exercendi: quandoquidem materia etiam rectiſſime „conſtituta ad ſubeundum Motum nihil huic præſcribere pot„eſt, quo minus vel velociter & vegete, vel tarde & ſegniter „in illam immittatur, &c.) *impetus*, inquit, ſeu *vires derivativæ ſunt modificationes rei activæ*, nempe Ἐντελεχείας, ſeu *virtutis activæ primitivæ.* &c.

Hic quidem incidere poſſet, & revera ſubeſt *duplex* reſpectus; nempe circa *ſubjectum* talis *modificationis.* Exceptio

 dicit

dicit, *impetus* ſeu *vires*; vocula hæc, licet proprie *disjunctiva* ſit, & *diſcretiva*: tamen familiariſſime uſurpatur pro *ſynonymice* copulativa. In ipſa re fundatum eſt, quod *Vires*, nempe *menſura poteſtatis* in *anima*, ut ente utique *finito* ſint *finitæ*. Unde recte de *Activitate* movendi prædicantur *Vires*: nempe *definita menſura poteſtatis*. Hanc *limitationem* habent animæ ſine omni dubio, a primo glorioſo *Efficiente* principio, Deo.

Impetus autem, *actum* ſolum *ſecundum*, ſeu *exercitium* virium, ſimplicius exprimit; & ad *receptivitatem* ſubjecti *paſſivi* reſpicit. Hujus an obtingere poſſit aliqua *modificatio in ipſam Entelechiam*, tanquam *principium actionis redundans?* Exceptioni quidem extra dubium poſitum videtur; niſi quidem totam rem aliter acceperit. Mihi autem videtur, *impetum*, in quodlibet *ſubjectum* patiens intentatum, ſi vel maxime deſtinato *effectu* careat, tamen propterea *Entelechiam* ipſam, dico *ſubſtantiam* ejus nihil *modificare*: imo nec ipſum *impetum* hoc eventu *modificari*: ipſum *in ſe*, inquam. Eſt enim utique, *qui* & *quantus* eſt: & quodquod ſubeſt vitium, non in *impetu* quærendum videtur, ſeu *gradu actionis* motoriæ: adeoque nec in tota poteſtate motoria animæ, *directe* & *qua tali*, imo ullo reſpectu: Sed imputandus venit error alteri facultati animæ, nempe *æſtimatoriæ*; quæ *proportionem Actionis* per certum *medium* ad certum *finem* dirigendæ, non exquiſite peregit: adeoque vel *fruſtra*, *ultra* proportionem rei *movendæ*, vel præter neceſſitatem *citra iſtam*, impetum prodegit.

Ubi certe ingens adhuc *paradoxon* (nempe verum quidem, ſed non æque paſſim & ſatis adhuc auditum, aut deductum,) evolvendum reſtat, circa hodie familiarisſimam, in harum rerum commemorationibus, opinionem de *reſiſtentia* ſeu *reniſu* corporum, adeoque *reactione in Activitatem motoriam*. Ubi, cum ad *eſſentiales* conditiones *Motus* abſolute ſimul pertineat *Tempus*; ingentem utique *modificationem* ipſius *energiæ* Motus involvens: innumeris certe vicibus contingit, ut *Motio*, ſine debita proportione *temporis* inſtituta, effectu ſuo totum ſubjecti complexum percellendi ſeu *percurrendi*; excidat. Quorſum etiam ſpectat *directio* Motus ſecundum *figuram*

ram aut *ſitum*, præſertim exactius *contiguorum* corporum &c. &c. Ita enim ſi in machina *tentata*, *repentino* præcipiti *impetu* Motus tentetur; facile contingit, præſertim in majoribus aut rudioribus, ut totus conatus in caſſum abeat, & *ſtipatione* proximarum partium *progreſſus* ad disſitas non procedat: cujus contrarium obtinetur, ſi cum *juſto tempore*, quaſi *percurſare* posſit Motus totam machinam, juſtis *ſucceſſibus*. Et *incuſſio* repentina in molem *duram*, facile minus de illa dimovet, quam *terebratio*, *raſura*, longe minore quantitate *graduali*, ſed *diuturniore* ſucceſſu Motus adhibito.

Nunc autem nova ſcena panditur IV & V Exceptione: e quibus cuivis relinquendum erit, quid intelligere valeat. Paulo ante no. II. *omnis omnia* dicebatur *ſubſtantia non extenſa*, neque *partibus prædita*, neque adeo *naturaliter producibilis* aut *diſſipabilis*. no. III. *verum* manebat, *animam* eſſe *Entelechiam* (corporis.) Ibidem fiebat mentio Entelechiæ *primitivæ*, tanquem virtutis *Activæ primitivæ*.

Jam no. IV. ſuam facit Autor *diſtinctionem* Entelechiæ *primitivæ* ſeu *animæ*; ab Entelechia *derivativa* ſeu *impetu*. Neque vero hoc ſufficit, ſed adhuc nova *diſtinctio* naſcitur, *impetus* a *Motu*.

Nec tamen etiam hoc ſatis eſt, quin adhuc ulterior *diſcretio* neceſſaria videatur, *affectionis* harum diverſarum rerum; dum Entelechia *primitiva perſtare dicitur*: entelechia vero *derivativa varie mutari*. Hæc vero *derivativa*, in eo *differre* dicitur a *Motu*, quod illa ſit res *vere exiſtens*: Motus autem *numquam exiſtat*. Adjicitur *ratio* omnem Motus *exiſtentiam* negandi, quia Motus numquam habeat *partes ſimul*, ſed conſiſtat in *ſucceſſione* ut *tempus*.

Socratem memorant, quum multis verbis differentem audiviſſet, e quibus nullum verum ſenſum, aut poſitionem ſolidam aſſequi valeret; annuiſſe quidem, ut probare videretur: ſed aſſiſtenti amico aſſeverando faſſum eſſe, ſe nihil quidquam capere eorum, quæ ille orator protulerit. Tanto minus mirum erit, ſi ego, qui non ſum Socrates, paria hic confitear: nempe nullam hic veram illationem, aut ordinatam concluſi-

 onem,

onem a me comprehendi poſſe. Illud quidem audio, argumenti ſeu medii termini loco allegatum, *Motum non exiſtere*, quia non ſimul habeat partes. Adeoque quidquid exiſtere dici poteſt, oportebit, ut non ſolum *habeat partes*; ſed *habeat* etiam illas partes *ſimul.* Dum itaque *Entelechia derivativa* ſeu *impetus*, res revera *exiſtens* pronunciatur, neceſſe erit, illam & a) habere *partes*: & b) habere partes *ſimul.* Quum autem præcedente no. II. omnis *anima*, (quæ no. III. non niſi ſimpliciter *Synonymice* Entelechia nominatur,) *partibus non* prædita eſſe dicatur: primo loco non comprehendo, quomodo in Entelechia *derivativa* eſſe poſſit, quod *abſolute* non eſt in Entelechia *primitiva.* Et quidem *generice*; licet enim *τὸ ſpecificum* in *derivativo* abire poſſit, imo debeat a *ſpecifico ſubalterno*, aut formali *primitivi*; hic tamen manifeſtum eſt, quod *τὸ non habere partes*, tam in primitiva, quam derivativa Entelechia, non ſpectet ad differentiam *ſpecificam*: ſed ad paritatem *genericam* nempe *eſſentiæ inextenſæ.* Idem, niſi me omnia fallunt, occurrit in deſcriptione *omnis animæ* no. II. allata, quod naturaliter non ſit producibilis. Cum enim Entelechia derivativa, ſi nominis omen habet, produci debeat a primitiva; iterum non capio nervum aſſertionis.

In ſolidum autem ignoro vim illius aſſertionis, quod, quicquid quidem *procedit* ſeu *ſuccedit*, quantolibet, etiam longo intervallo ſeu ſpatio *temporis*; tale, inquam, *plane non exiſtat.* Apud omnes certe, quantumcunque abſtracte ſpeculantes, pro certo haberi ſcio, quod *τὸ* numquam *exiſtere*, æquipolleat abſolute *τῷ* plane *non dari*, *numquam eſſe*, *nihil eſſe*; adeo, ut hac phraſeologia, etiam *τὸ exiſtere* & *ſubſiſtere*, vera ſint ſynonyma: & ſaltem *τῷ ſubſiſtere*, *τῷ diu* imo *ſemper perſiſtere*, contradiſtingui poſſit. E qua quidem conſideratione, quum intellectu contemplantibus, nec ipſa quidem *prædicamentalia accidentia* Ariſtotelica pleraque, licet numquam *per ſe ſola ſubſiſtant*, tamen propterea, dum *in aliis* ſubſiſtunt, *plane non* ſubſiſtere, plane non *exiſtere*, plane *non eſſe*, imo ſimpliciter *nihil eſſe*, nuſquam arguuntur.

Unde

Unde quidem iterum iterumque ſincere proteſtor, me harum rerum conciliationem, & verum ac realem *conceptum*, oppido quam liberaliter & ingenue aliis quibuslibet permittere, imo commendare: me ipſum autem, quidquam omnium horum vere *intelligere* aut *comprehendere*, & inter ſe conciliare minime valere, eadem ingenuitate confiteor.

Unde deſtituo omnem illam ſpem, quam Dnus Autor Exceptionum de me ſuſcipere aut quoquomodo credere, in animum induxit: quod e talibus rivulis ego ulla ratione, nedum facilius percepturus ſim fontes talium ſpeculationum, pro veris & realibus nempe, ſive in ſe, ſive in ſubſtrata materia habendarum. Eadem de cauſa etiam non attingo, ſed aliorum meditationibus relinquo omnia illa, quæ no. II. afferuntur de Carteſianis; & an illa disjunctiva, *vel potius per harmoniam:* & quæ ſequuntur: revera ſit disjunctiva, a Carteſianorum breviter allata opinione, unguem latum diſcedens &c. Quid me hic præpediat, pauciſſimis ſolum dicam. No. 1. Summopere dubium me habet, an, quæ Deus, ut hic ſonant verba, tanquam pacto quodam ſibi ipſi propoſito, ita fieri voluiſſe, *fingi* poſſet: an inquam Deus illa ſine fictione, actu & vere voluiſſe, non ſimpliciter affectata fide, *credi* poſſit, nedum *debeat*: Cum 2) tam innumera, perpetua, & ſemper atque conſtanter eadem, non tam phænomena, quam documenta hanc *credulitatem* intervertant. 3) Et per ante dicta, in meæ aſſertionis ſpicilegio, totum negotium, tam per *rationem*, quam univerſam *experientiam*, captu & conceptu, mihi certe conſtanter, nimio luculentius & facilius videatur. Ubi non poſſum ita prorſus ſilentio præterire inſimulationem illam, quæ in prima ſtatim exceptione in me intentatur, ac ſi ego ullibi colore illo uſus ſim, quod ſententia, quam tueor, ſaltem *propterea* recipi mereatur, ut *melius* aut *commodius* diſtingui poſſit Organismus & Mechanismus: non autem *in rei veritate diſtincta ſint.* Sane vero tales in ipſo limine affectatæ diſceptationis flosculi παρεκβάσεων, non promittunt ſolidas enucleationes per decurſum Tractationis &c. &c.

Quæ ſequuntur No. VI. quod *humanæ* animæ ſimul ſint *Mentes*; hæc, ut in ſe ſatis firmo ſtant talo, ita in verbis non eſt, unde ullum diſſidium timeri posſit, dum videlicet ego verbis illis uti ſoleo: anima humana *prædita* eſt, quatenus *humana*, exquiſite *intelligendi* facultate: *generalius* autem, quatenus *anima activè movendi* energia. Si itaque Exceptio ut apparet, Entelechiam nominando, animam intelligit, quatenus *movendi* energia pollet; *Mentem* autem, quatenus *intelligendi* facultate prædita eſt; tunc utique fruſtra affectaretur diſſenſus, aut ulla ejus inſimulatio locum inveniret. Eo magis autem *conſpirare* mecum, imo omnia *eadem* ſentire videtur Dn9 Autor, circa totum hoc negotium, dum expresſis verbis profitetur, humanam animam *SIMUL* eſſe *Mentem*. Quod utique nullum alium ſenſum commode admittit, quam unum illum, quod *una eademque* anima *humana* tam ſit *Entelechia*, quam *Mens*; nempe tam *MOVENDI*, quam *INTELLIGENDI* facultate prædita.

Quod ipſum, cum totius meæ Theſeos, & omnis ſuperſtructæ Hypotheſeos reliquæ, totum fundum & latifundium conſtituat, quid tot ambagibus opus, aut quis illis uſus eſſe potuerit, non niſi divinando hariolari licuerit.

Recte vero hæc explicatio juſti *conſenſus* noſtrum excludit longe recedentem illorum chorum, qui *Entelechias* Dno Autori dictas, a *mentibus* ejusdem ita ſegregant, ut inſuperabilem hiatum & inacceſſam diſtantiam, inter has utrasque intercedentem deſcribant, id eſt, animam, quæcunque *intelligendi* facultate donata eſt, *Movendi* poteſtate *non poſſe* gaudere, ſanciunt. Si itaque in *humano* corpore, *motrix* aliqua poteſtas agnoſcenda veniat; *principium* illud, quod huic præeſt, totum *diverſum* eſſe volunt ab illo, quod *intelligere* posſit atque ſoleat.

Quod nempe disſidium, non ut imperitisſimi quidam ſomniant, *novum* quiddam, nedum uti per maledicentiam nugantur, *novatorium* eſt; quum notisſimum ſit, ipſum jam *Galenum* propterea maxime deſultoriæ levitatis reum agi, quod a longe antiquioribus temporibus *Medicis* familiarem ſententiam, *uni eidemque humanæ animæ*, (juxta tritisſimum illud

illud, *qui poteſt plus, poteſt etiam minus*) tam *intelligendi*, quam *ſentiendi* atque *movendi*, & tandem *nutriendi* facultatem tribuentem, philoſophorum (certe *ſophiſtarum*) ſomniis poſtpoſuerit: *tres* plane *diverſas* animas, *rationalem*, *ſenſitivo-motoriam*, & *vegetativam* uni eidemque humano corpori affingendo. Quarum nulla in alterius circulos atque ditionem ullum jus habeat &c. &c.

Sed profecto poſſet hic valere illud Comici: *quo ibo, aut non ibo!* Adeo certe ultra meum captum eſſe agnoſco, diſertam hanc declarationem hujus membri exceptionum, cum toto reliquo apparatu diſceptationum præſentium conciliare.

Abſit autem, ut novis diverticulis indulgeam de anima *brutorum*, per meras conſecutiones empiricas ſeu *inductivas* (num vero non *enthymematicas*?) procedendi. (nempe *ſcitisſima proportione*, tam *mediorum ergà finem*; quam *per media ad finem*: & exquiſitam *directionem Motus*, ſecundum proprias ejus affectiones.) Nec etiam illud, quod animæ *brutorum perſiſtant*, licet a ſuo corpore *ſeparatæ*. Quisquis enim huic ſpeculationi inſiſtere voluerit, niſi plane Bardus ſit, certe pro prima quæſtione arripiet: an *brutorum animæ*, ſi in *aliud*, quam *brutorum* corpus, imo ulterius, de quolibet in quodlibet *transeunt*, ſint & maneant *eædem*, nempe brutorum, *ut tales*, animæ: nec ne?

Ubi quidem inveniet quod agat, ſi *ſophiſtis* expeditiſſimum illum, & nimio plus quam ſeptemplicem umbonem ſeu clypeum extorquere, & ſuis lacertis aptare aggrediatur: γνῶσιν dico, (ſed abominando vocem *intellectus* aut *judicii*,) qua, quid in quolibet corpore, recte ad ejus finem perficere liceat, aſſequantur.

Eadem de cauſa ſuperſedeo illis, quæ no. VII. dicta novam Ariadnem præſtolabuntur, quæ, ut Galli ſcitantur, forte naſci adhuc debet. (Qui eſt encore a naitre.) Lucem autem videbit, quando anguli e centro mathematico, puncto nempe tali, omni dimenſione carente, inclinationem, ſeu actualem exitum linearum, pariente, ipſi quoque repræ-

ſen-

ſentabuntur: Et quando *intellectio* erit *ſpecies perceptionis. Quærit ſe natura, nec invenit.*

Jam cras heſternum præteriit, ecce aliud cras. Putaſſem, inventum tandem eſſe centrum gravitatis, in quo, perfecto æquilibrio, quieſcere poſſent reliquæ vacillationes. Ἔρως Ἔριδος non patitur. No. VIII. contraria in reſponſione contenta revelare inducunt.

Primo, ait, reſpondetur, animam non poſſe imprimere *gradum* Motus, niſi qui corporis *diſpoſitioni* quadret. Sed replico: *omne corpus* capax eſſe celeritatis *quantæcunque*; neque adeo rationem reddi poſſe, cur non anima majorem Motum corpori imprimat, aut certe imprimere poſſit. Itaque manet collectio *proba*, quod nulla reddi poſſit *ratio*, cur non corpus ad *quamcumque altitudinem* ſaltare posſit, ſi *vi animæ* ſaltat; poſito ſcilicet, *animam eſſe ſubſtantiam incorpoream, & tamen movere corpus.* Siſyphi ſaxum! Palinodia laborioſæ confesſionis, imo, ut loquuntur Inquiſitoria Prætoria, dogmatizantis. Vanum eſt, principium, quod corpus movet, eſſe *incorporeum, Entelechiam non extenſam, ſubſtantiam ſimplicem per ſe activam, Monadem: materiam* autem phyſicam, corpoream, eſſe *ſimpliciter pasſivam.* Quam ob rem autem? Quia alioquin *corpus ad quantamcunque altitudinem ſaltaret.*

Juvenis adhuc viginti unius aut duorum annorum tractatulum, *Theoriam Motus abſtracti* promittentem, ab hac eadem manu profectum, tam ſpecioſo titulo invitatus, deſiderio jam tum ardens addiſcendi, quicquid usquam poſſet, de *Motus*, ſecundum hanc *propriam ſui indolem* conſiderandi, vero *genio*, legere non ſolum ſuſcepi cum attentione, quantacunque in me cadebat; ſed etiam comprehendere optavi, & ſi usquam fieri poſſet, rem, quam titulus pollicebatur, intelligere. Aliorum autem omnium & ſingulorum intelligendi compotum judicio permitto, an hebetioris mei intellectus atque rationis, an vero tractationis & orationis culpa nusquam asſequi potuerim, quod titulus utique diſerte indicebat potius, quam indicabat. Nusquam enim certe vel ullum veſtigium perveſtigare valebam, quid *Motus in abſtracto, in ſe & per ſe* con-

conſideratus, vel *eſſet*, vel *poſſet*. Illud autem utique, niſi me omnia fefellerunt & hodieque fallunt, ſatis intelligere mihi videbar, quod per *Motum abſtractum*, ubi tanquam exquiſitisſime innui videbatur, deſignatus ſit *Motus in concreto*, nempe cum corpore aliquo conjuncti, talis *fictitius ſtatus*, ut in abſoluto & qualibet mentis fictione *abſolute vacuo*, Motus talis cum corpore *ſociatus* denotari appareret. Aliter enim certe, ne quidem fingere poterat, nedum concipere ſuppoſitionem illam; quod Motus, cuicunque rei impreſſus, hanc *in infinitum ducturus*, *prolaturus* & *propulſurus* ſit. Agnoſcebam quidem facile, quod e communi grammatico ſenſu, & qualitercunque metaphyſica acceptione verum haberi posſit, quod *Motus*, *quatenus* talis, *non posſit umquam abſoluto vocis ſenſu quieſcere*. Interim *duo* certe impedimenta implicatam tenebant mentem. Primo, quod ſermo eſſe videretur, prout verba jacebant, de *Motu craſſo*, *motu locali*, ſeu *progresſivo ſecundum lineam*. Ubi mihi, certe etiam jam illo tempore, non ſolum Motus *ſitualis*, *centralis*, huic poſtulato quadantenus crucem figere videbatur; ſed adhuc magis ipſe Motus *Contentionis*, ſimplicisſimæ *tenſionis*, & quaſi ſimplicisſimæ *micationis*: qualem, ut ego quidem arbitrabar, *quietis* confuſo conceptu vulgo deſignari, non probabam.

Ante omnia vero nullatenus aſſentiri poteram, uti certe hodieque non poſſum, ἀκυρολογία illi qua hic de Motu *in abſtracto* ſermo ita eſſe videbatur, ut *Actus* Motus, qui ſimplex *effectus* eſt a cauſa ſua *efficiente*, *principio* motorio ſeu *Motore*, ita avelli videbatur, ut effectus talis *emanans*, poſthac cum ſubjecto ſuo nonmodo *ſubſiſtere*, ſed etiam in infinitum *perſiſtere* & procedere poſſet. A quo paralogismo, ut etiam *præſentis Exceptionis* numerus III. & IV. vindicari posſit, certe vereor. Ubi Entelechia *derivativa* ſeu *impetus* a *primitiva* omnino diſtinctum quiddam, & tamen revera *per ſe exiſtens*, memoratur: *Motus* autem, licet *numquam exiſtere* dicatur, tamen cum *aliquid* eſſe ſanciatur ab Entelechia *derivativa diſtinctum*, videbunt, qui me perſpicatiores ſunt, illud quod ego nec in hodiernum usque diem pervidere valeo.

 Intentat

Intentat autem mihi Exceptionum præſentium no. XXIV hanc dicam, quaſi ego nomine *Motus* affectem, non intelligere, quod omnes alii; nempe affectionem *corporis*: & informare me ſuſpicit, No. XXV, *Motum non eſſe agens* quoddam, ſed *Actionem*. Quum manifeſtum ſit, me, ubi de *Motu activo* loquor, non ſolum intelligere verum tale *principium* motorium; ſed hoc maxime urgere, quod *Motus* non efficax (ille, ſed) *effectivus* non poſſit neque debeat a *principio* ſuo *efficaci* ita *ſejungi*, ut non ſolum in diſtans *emanando*, ſed & in diſtans *perſiſtendo*, usque in infinitum progredi poſſit. unde certe, ſi hoc non eſt nodum in ſcirpo quærere, nusquam alibi huic proverbio erit locus.

Ad rem autem quæſtionis ut redeamus, quis ſuſpicatus eſſet tantam firmitatem ſtatuminandæ ſuæ collectionis, & pro proba ſtabiliendæ: quod nempe, ſi corpus *vi animæ* ſaltaret, ad *quantamlibet* altitudinem ſaltare poſſet. Sane vero ſecundum illam *Theoriam Motus abſtracti*, qua corpus *Activo* Motu correptum & *poſſeſſum* fingere liceret, in abſoluto *vacuo* ſpatio conſtitutum, ne quidem dubitarem, affirmativam quæſtionis tueri: quod nempe *anima* corpus ſuum pro arbitrio ſuo, in omnem diſtantiam, & ſecundum omnem, ſive lineam, ſive ſitum, in infinitum ferre & agere poſſet. Quum autem innumerabilibus aliis *Motibus*, & *corporibus motis circumſcriptum* & *obſtipatum* corpus anima poſſideat: quid alienius eſſet, quam ejus poteſtatem, ut *abſolutam* metiri velle, citra ullum reſpectum *finium*, ab aliis motoribus, & Motis rebus deſcriptorum. Profecto enim non ſimile ſolum, ſed plane par eſſet, *paralogon* colligere: principium corporis humani motorium, (quodcunque tandem fingatur,) poteſt corpus hoc per *liberum aerem* ſine multo, aut quantocunque tandem labore, aut impedimento, curſu per aliquot centenos paſſus, quaſi raptim, propellere: ergo debet illud etiam eadem ratione, per *profundum aquarum*, imo per *transverſum murum*, propellere & transpellere. Quam proba itaque maneat, ut vult No VIII. collectio de *ſaltu*, decernant, qui volunt & valent. Ie n'y vois goutte, dicunt Galli.

Paris

Paris ponderis eſt nodus No. IX. formatus. Ubi quidem egregie animum vicit Dn9 Autor, quod diſputare ſeſe continuerit, *An anima* & *quatenus* ſit *in corpore*, *ut in loco*: quæ etiam certe, ut in ſe, ita in ordine ad meas illationes, ſterilis futura fuiſſet, quum ego hanc poſitionem proferre nusquam videri potuerim. Interim nihilo magis fertile eſt, negare ſimpliciter, quod non ſolum alias *exquiſita* ſuppoſita *ſocietas reciprocam proportionem* involvat: ſed obliviſcitur etiam exceptio, tam mecum conſcientis præſuppoſiti, quod obſervanda *proportio*, tam *principio* moventi ſeu *activitati*, quam *ſubjecto* movendo, ſeu *Agilitati*, a *prima* Efficiente cauſa, omni potente Conditore, *a priori* impreſſa & inſita ſit; quam etiam *a poſteriori* illius conſiderationis, quod *humana* præſertim *anima*, *intelligendi*, & ſecundum intellectum *legitime volendi* facultate inſtructa, (ſi ex habitu innato hoc ipſi concedere difficile videatur,) ſaltem ab experimento incaſſum ſuſcepto, hanc *prudentiam* aſſequi & ſequi debeat, ut, quæ perficere obviis & perpetuis experimentis impotem ſe cognoſcit, illa, præter omnem rationem affectare deſinat. Nedum, quod proprie eſt in quæſtione, ut tale quiddam etiam deberet *poſſe in effectum* deducere. Illud autem de *linea & ſuperficie*, ad *proportionem* inter *Motum* & *Extenſionem*, *Locum* & *Tempus*, (& multa hujusmodi,) cum *ſocietate* abſoluta *Agentis & Patientis*, formaliter ad unum idemque reducere, ad Triarios, imo ſubſidiarias cohortes transmittendum eſt.

Quod No. X. nulla proportio eſſe dicitur, inter *Rationem* & *Motum*; neſcio quo ſpectet. Rationem *ſimpliciter* eſſe Motum, imo *formaliter*; aut viciſſim: ego non crediderim, ullum hominem eſſe, qui dixerit, nedum ut ego ille ſim. At vero, quod *proportio nulla* eſſe poſſit aut debeat inter *Rationem* & *Motum* in ſubſtrata quæſtione; Ego etiam ingenue fateor, a nullo homine audire ſperaviſſem. *Motus* in corpore humano (imo omni *vere animato*) ad *fines*, *ſpeciei convenientes*, regi debere, neminem dubitare poſſe putaviſſem. Hæc gubernatio, quum non ad *ipſum Motum in ſe*, ſed ad rem adhuc *futuram*, nempe *finem*, reſpiciat: cui adſcribi poteſt, niſi *principio*

pio proportionum tam *finis*, quam *ad finem conſcio*. Unde profecto nihil aliud hinc reſultat, quam illa ſola diverſitas *Actus Motus* in genere; & *Actionis movendi*, ut *ad finem*, in ſpecie. Quæ *poſterior* quum illa ſit, de qua hic manifeſto ſermo erat; Exceptio illa, altercantium ſtylo, cavillationis nomine veniret. Unde etiam, qui meas aſſertiones cum intellectu legendi compos fuerit, certe mirabitur, quid hic *miretur* Exceptio.

Primæ lineæ Numeri XI meæ ſententiæ conformes; quomodo a ſubſequentibus limitari poſſint, divinatione opus eſt. Dum *Rationem* determinantem *proportiones in corpore* nullam præſto eſſe, urgentes: illam nec *in anima* eſſe, vel debere, vel poſſe, neſcio qua ſyllogismi figura concludere debeant. *Proportio*, de qua ſermo erat, relata erat ad *Gubernationem* Motus, *fini* convenientem; ſed & juſtæ proportioni *corporis*, quod Motu affici debet, reſpondentem. Quid ad hæc Exceptio? Poſſe autem *easdem* ſine cavillatione proportiones manere, auctis quantumcunque *magnitudinibus*: novum eſt Edictum.

Duodecimo No. comparens propoſitio manca eſt; non enim ſolum leges *mechanicæ*, ad corpus movendum ſimpliciter, ſed quam maxime *ad finem reflexæ*, hic in quæſtionem veniunt.

Quod circumſcriptio *finitiva*, ſoli *localitati*, non autem etiam *poteſtati Activitatis* quadret, quis umquam credidiſſet? In reliqua, chartæ parco, nedum tempori.

Forſan autem ſupervacuum fuerit, e Numero X. illud adhuc attingere, quod ego perperam ſtatuam, Rationis nullum aliud objectum eſſe, quam res corpori inhærentes, figurabiles, locabiles; Et, quod in reſponſione dicatur, nihil horum eſſe verum, niſi conſiſtat in corpore, & reſpectum habeat ad corporeitatem. Unde quæſo tam frequens admiratio; cujus genealogiam antiquiores deſcribunt admodum argute. Ego, ſi *recoxi* animadverſionem, inter *Rationem* & *Ratiocinationem* diſtinguendi, nequaquam frivole hoc feciſſe inſimulari potero: quum non ſolum *frigidam* jam, ſed ita *obſoletam* acceperim, ut illam exactiori palato accommodare

haud

haud multo minus artis poſtulet, quam ſi recens *coquenda* ſit. *Agnitio* certe & *cognitio* ſemper mihi erunt in hac quæſtione res admodum diſtinctæ. Quod propemodum omnes *ſenſus*, vulgo dicti *externi*, demonſtrant; imprimis autem *guſtus*, *olfactus*, *auditus*, *viſus*: nec tamen ita longe remoto ipſo quoque *tactu*.

Quamvis enim agnoſcat utique *Ratio*, quod *amarum*, *auſterum*, *acerbum*, *acidum* &c. &c. non ſit *dulce*; imo, *nullum* horum ſit *alterum*: nedum de *ſpecificis* ſaporibus a *Cedro Libani*, *ad Hyſſopum in pariete creſcentem*: licet inquam, *Ratio agnoſcat*, veram veritatem, quod inter ſingula horum adeo vera ſit *diverſitas*, ut nullum horum pro altero, nedum omnia pro uno eodemque *agnoſcere* poſſit: Imo etiam *ſingula* horum ſeorſim uſu & experientia ita *agnoſcere* valeat, ut etiam ſingula ſeorſim revera *agnoſcat*: v. g. aliquot centenos ſapores, diſtincte ſuis *craſſis figuratis thecis*, ſecundum harum uſitata *nomina* accenſendos. Tamen nec ullius unius, *in ſe ſpectati*, cognitionem, ſive ipſa vere *formaliter* aſſequitur; ſive alteri, (in individuo) *deſcribere* poteſt, ut quicquam horum (ſaporum) juxta ſuum *proprium formale* vel *concipere* poſſit, vel *exprimere*. Id quod in *Programmate de Rationis & Ratiocinationis differentia*, pro intelligentibus abunde; quamvis pro non intelligentibus, utique minus quam breviter jam olim monitum fuit. Aſt, nihil eorum *Eſſe verum*, niſi *conſiſtat in corpore* &c. &c. ego, ne quidem ſomnians dixero. Multa talia *Rationis Agnitioni* eſſe *vera*, ſed *Ratiocinationis cognitioni* nullo uno modo *clara*, dictum eſt ſemper ab intelligentibus ſtatum quæſtionis: & ego dixi, dico, & quod aptius, quam latinius, Galli dicunt: Je ne m'en dedirai pas, non me dedicam, ſeu, non dictum eſſe voluero aut conſenſero. Quis autem hic novus nodus in ſcirpo.

Ad XIV. Nrum. quomodo in anima, (diſtincte & expreſſe,) concipi poſſit *Perceptio* & *Appetitus*, operæ pretium feciſſet Dn9 Autor, ſi ita deſcripſiſſet, ut etiam omnes homines hunc conceptum formandi, planam viam inſiſtere valerent. Si enim ipſe plane ſingularem prærogativam hic habuit

 buit

buit; ab aliis, etiam in contradictorio eandem exigendi, jus & fas demum ſtabilire tenebatur.

Sed quomodo inde a *perceptione* & *appetitu* *ORIATUR Motus*, ego certe ipſe, ad minimum animi cauſa averem audire: ſi tamen quisquam tam imprudentis aſſertionis ſerio ſeſe alligaret: Quod tamen, ut quisquam fecerit, merito ambigo. An ego talis ſim, aut fuerim, certe non niſi injuria inſimulabor. An vero etiam tale quidquam, *efficiente efficacia mechanicarum* legum fieri poſſit, nedum ſoleat; ego ne quidem credendo credere valebo, nedum intelligendo intelligere.

Ad Nrum XV. ſi quod ſupereſt dubium ibi pele mele allegatorum, nihil hactenus dictum aut contradictum eſſe, neceſſe eſt. Unde transeant cum ceteris. An animæ *imperfectio* conſiſtat in ſolo modo *percipiendi* & *appetendi*; non autem in modulo *gubernandi* & *dirigendi*; quid aliud eſt, quam ut habet proverbium, *Domitiana* quæſtio? imo aliquid amplius. Nempe non ſolum *fundamentalis*, ſed etiam ipſa *primordialis*. Quam non pro quæſtione, ſed pro *deciſione* allegare inter tyrocinia logica, *petitionis principii* nomine inclamatam, provocatio eſt numquam recipienda.

Quod autem hæc *cauſa* ſit probe *intelligibilis*, cur anima *intentiones* ſuas non obtineat, quando omnia media, jam tum reapſe in corpore invenienda, non ſufficienter 1) *percipit*, aut 2) *appetit*, res ſunt certe diverſæ. Sed abſolvit diverſitatem *enunciatio*; quod Motus *congrui* in corpore, (ſeorſim ut in ipſo corpore) jam *inveniantur* & præſto ſint. Entelechia *primitiva*, certe *mater derivativæ*, ubi hic latitat? niſi quidem *modificatio* ejus a Motu, *aliunde* exiſtente, (ſed tamen *numquam exiſtente*,) *circulos* turbet. Quum tamen legitime ſit ordo ab Entelechia *primitiva*, Entelechia *derivativa*; ab Entelechia *derivativa*, *Motus*: Quæ ad arborem conſanguinitatis remittenda veniunt.

Quid autem *inconſtantia* & (*moralis*, *intentionalis*,) *impotentia* animæ faciat ad *directiones* motuum, ſecundum *turbidam* intentionem minus proportionate *regendas*, nulla rhethorica

opus

opus fuerit ad perorandum: ſed hic etiam valebit illud antiquiſſimæ veritatis, *ſymplex eſt oratio veritatis.*

No. XVI. *Aſſenſus*, qui declaratus, cavendum eſt, licet captioſus non ſit, ne tamen ipſe decipiatur. In corpore animali numquam poteſt eſſe quæſtio, de *omnium* (*ſingulorum* potius) corporum, (*punctorum phyſicorum*) *proprio* fine, ad quem inquam, *ſingula per ſe* apta ſint ſeu *quadrent*; nequaquam autem Ματαιολογία illa rhetorica *tendant*: Qua captatione *Organica* hic dicuntur. Sed abſoluta quæſtio hic eſt de *finibus ſyſtematicis*; quales *ſingula* talia corpuſcula, in præſentem craſſam mechanicam *compagem* ſociata habere poſſint aut debeant: & ut *amphibologia rhetorica* potius, quam *Grammatica* hic affectat, quem finem *reſpiciant.*

Dabo exemplum ex innumeris unum. Forfex fullonio-raſoria (eine Tuch-Schere) ex innumerabilibus corpuſculis ferreis & chalybeis conſtat. Singula horum corpuſculorum, vel per ſe, ut ſingula; vel in tanta hac aggregatione *tendere ad finem pannum radendi potius*, quam in incude percuſſiones ſuſtinendi: inter ſomnia febrientium foret cogitare. Quantum autem Theſeos No. XVI. illatio ab his exemplis diſtet, prolixo computo non opus fuerit.

Illud *generatim* ſentio, omnia omnium cauſa facta eſſe 1) abſolute & ſimpliciter ſecundum directam intentionem, ad verum effectum inevitabiliter implendum, infallibiliter procedere, *credi* poteſt, ſed numquam demonſtrari. Tanto minus, quum plane *Dignitas* adhuc in cenſum veniat.

2) Prodigus plane eſt *aſſenſus*, certe in materia ſubſtrata, *erga me*; quod nullum corpus naturæ, (Dni Authoris ſenſu, organicum) Entelechia primitiva, *Monade actuatrice*, quæ ullo ſenſu, vel ampliſſimo, *anima* appellari poſſit, *perfecte caſſum ſit.*

Quum ego hanc ſpeculationem ſtudio prætermiſerim; abunde in corporibus *ſyſtematico-* (*aggregativo-*) *organicis* habens, quod ſpeculatores fatiget. Unde etiam illud: *nullam eſſe animam ab omni corpore ſeparatam* nec libet, nec præſentis loci eſt, enucleare. Licet paulo ante, de

anima

anima brutorum, *quatenus brutorum* dici poteſt, ὡς ἐν παρόδῳ pedem alliſerim, ſed tamen ſine ceſpitatione.

No. XVII novum *paradoxon*; *non omnis pars corporis organici corpus organicum eſt*. Provoco ad Grammaticos, quid ſit *paradoxum*; & quid differat a παραλόγῳ. *Apparenter* nempe, *non reipſa* falſum. Tale certe eſt, quod in hac linea memoratur; uti de *forfice fullonia*, præter innumera exempla, indicavi. Sed quomodo cum præcedente no. XVI. coincidat, ubi omnia omnium cauſa, (directe) facta erant, alius, quam mei & mei ſimilium otii, negotium erit, demonſtratum dare.

Ad illud, de *Motu cordis* aliquandiu & non nihil continuando, eorundem erit ſententias perferre. Ubi tamen non diſcedent ab illo axiomate: quod *Motus*, licet *partes non habeat ſimul*, tamen *neceſſario habeat partes*, *quia in ſucceſſione conſiſtit*. Unde certe *dividi* poſſet &c. &c. Ego hic non occupabor.

Sicuti nec in illo, quod *cuilibet maſſæ*, (organicæ) inſint *corpora organica completa*; *animata* ſeu *per ſe actuata*: (directe *ad finem* totius maſſæ;) adeoque ſingulæ partes ſint (*directe*) *organicæ* totius corporis organici. Exquiſite *contra primam lineam hujus periodi*.

Quod autem, niſi hoc eſſet, materia non poſſet ubique actuata eſſe: nec ipſe (abſolutus) mechanismus locum haberet; mea parum intereſt, id eſt, ut Galli loquuntur, Je le veux bien.

Numerum XVIII. quod concernit; ſi non tam memoria nuda arreptos canones, quam, quid de quacunque re revera mente concipi poſſit, perpendamus, longe minor difficultas erit, quam vel hic & adhuc præcedente numero arguitur, vel a tota ſchola circa hoc propoſitum jactatur. Nempe commune, quod hic urgetur, Edictum haberi vult: *nihil poſſe dividi in partes*, *quod non ſit extenſum*. Injuria autem certe nullo, inquam, vero atque ſolido jure, Phyſici ſibi ſolis aſſerunt *Extenſionem* & *Diviſibilitatem*; tam *Metaphyſicis*, quam *Mathematicis* illam ſimpliciter denegando. Sicut enim *diffiſſio*,

(cir-

(circumſcriptivam localitatem, craſſo modo & ſenſu ſumendam involvens,) *phyſicæ Extenſioni* equidem facile conceditur, imo relinquitur; nulla tamen usquam neceſſitate agnita, quod *Extenſio* etiam talis inferat τὸ habere partes extra partes *in infinitum*: Ita tamen *circumſcriptio* durationis, ſecundum quantaslibet menſuras, licet non *diffisſio*, tamen *diviſio* vera eſt; & hæc circumſcriptio merito ad latus ponitur *locativæ*: ut, quemadmodum hæc *corporeis* rebus, ita illa, nempe *menſurativo-partitiva*, incorporeis, in rei veritate conveniat. Eodem jure, quo *quantitas in genere*, & in *ſpecie*, (ſecundum hunc duplicem ſenſum *circumſcriptiva*) a nullo *Methaphyſicorum*, aut *Mathematicorum*, *corpori* ſimpliciter, & ut loquuntur, *privative*, permittetur. Id quod de quantitate, ſeu gradu *Motus*, de *ordine*, *rythmo* & *typo* Motus, de inchoatione, imminutione, ceſſatione ejusdem, & ut jam monui, de ipſis quoque ſimilibus reſpectibus circa *Tempus*, intellectui obvium eſt.

Quorſum omnino etiam in ſolida rei veritate pertinet modus ille, quo *actus Motus*, imo *principii moventis*, *in* & *cum corpore* eſſe, diſtincte (quod pro imperio urget Dnꝰ Autor) intelligi poſſit. Iterum dico, non *concipi* ſolum (nempe confuſiſſime) ſed *diſtincte* intelligi. Unde quidem ego tam diu jus fasque mihi duxero, pernegandi, quod etiam pro *diviſione* animæ, in exemplis controverſis (*cordis piscium*, *caudæ lacertarum* &c. &c.) ſimpliciter *localiter extenſiva* diffiſſio neceſſaria ſit: donec contradicentes *diſerte*, & *perfecte - intelligibili* explanatione planum reddiderint, quonam modo *humana anima*, imo ſecundum Dnum Autorem & ſocios ejus ſententiæ, totidem *incorporeæ* Entelechiæ: quotquot ſunt corpora, (& *ſingula* actu in infinitum diviſa, adeoque ſingulis *Entelechiis*, infinito numero inſtructa) *inſint* in illis corporibus, aut *ſint cum illis* corporibus: *in* illis, inquam, aut, quomodocunque *cum* illis, numero *ſingulis*: non autem *ſingulæ* certe *Monades* ſeu unitates, cum *omnibus* aut in *omnibus*, etiam reliquis, in *infinitum*, corporibus. Imo, donec *diſtincte* intelligibili explanatione oſtenderint, quomodo *infinitus numerus incorporearum* rerum, nempe *unitatum*, in rei veritate a ſe invicem *diſtinctarum*,

 men-

mente comprehendi poſſint, abſtrahendo perfecte ab omni *idea locabilitatis*.

Sane vero jam ab ipſa adoleſcentia mea non potui ita ſimpliciter acquieſcere illis ſtratagematibus, quando rebus incorporeis *Locus* quidem ſtrenue negatur; omnino autem aſſeritur & aſſignatur (nempe limitatum) τȣ̃ ſeu *ubi*; *aſſignatur*, inquam, quod etiam ſint *in re localiter circumſcripta*; ſed negatur, quod *ipſæ ſint localiter circumſcriptæ*; Aſſeritur omnino, quod ſint *finitæ*, ſed negantur *fines*.

Quod idem certe deſiderare jus fasque eſt, in revocata a Dno Autore *Monadis* appellatione; quaſi nempe plus *greganico* hoc vocabulo intellectui ſiſteretur, quam *latino*, *Unitatis*, aut numero *unius* vere exiſtentis ſubſtantiæ: imo cum diverſitate, ab aliis paribus *unitatibus*, quarum ſingulæ vere per ſe exiſtant.

Ita nempe inanis certe eſt crepera illa ἀῤῥήτων inſimulatio; etiam grammatico ſenſu ἄτοπος. Siquidem nimium quam in expedito poſita ubilibet eſt ῥῆσις, & multa atque ampla rhetorica; ſi tamen *eloquentiam* verbalem diſtinguendo ab *elocutione*, veram vim ſubjecti, de quo ſermo eſt, exhauriente & exprimente; hæc poſterior utrinque exquiſite examinetur, dabo ſtatim vades, ſed ſummo jure etiam poſtulabo, utra ſententiarum hic controverſarum, plus habeat, hoc poſteriore ſenſu revera ἀῤῥήτȣ. Plus autem certe, quam quidlibet aliud, *inane*, & tamen latius, quam quidem expedit, *Locabile* eſt, exclamationibus talibus Autoritatem aliquam affectare, & per ἄῤῥητα, ἄλογα indicare velle.

Numerum XIX conſulto prætereo; utpote nihil ad noſtrum propoſitum facientem: neque certe tanquam problema, omnibus ſine diſcretione lectoribus quadrans, prolixe exſequendum.

Sicut etiam vigeſimum; excepto ſolo ἀῤῥήτῳ illo, Dicendum eſt &c. &c. Non enim ſolum dicendum ſeu edicendum, ſed demonſtrandum eſt.

Neque vero etiam numerum XXI moror, quin potius, ſi bona fide inter nos conveniſſet, plus *Motibus*, quam *corporibus*

tri-

tribuere, non modo omnis charta, ſed cujus nimio damnoſior eſt jactura, totum *tempus*, quod in has tricas prodegimus, integra manſiſſent. Quod puto, tanto liberalius fieri potuiſſet, ſi ſimpliciſſima illa veritas, non indigna conſideratu reputata, atque adeo prætermiſſa fuiſſet: Quod exquiſitiſſima *mobilitas* corporis, nihil quidquam inferat ad *actionem Motus*: ut nempe illam *neceſſe* ſit, *in actum* deduci, *quando*, & *quamdiu* corpus *idoneum* ad *Motum iri*, præſto eſt: ſed hæc *actuatio* unice (ut loquuntur Metaphyſici) *moveatur a fine*, tanquam cauſa non *phyſica*, aut *mechanica*; ſed *morali*.

Ita etiam Nri. XXII, ſi non in ſe eſt, mihi certe manet perplexa & prorſus *ἄῤῥητος ῥῆσις*. Numquid enim ego ille fui, qui, *intelligibili ῥῆσι* ſumtam vocem, *immaterialis*, de *anima* dici poſſe, imo debere, negem? Licet illud conſtanter negem, quod anima mihi videri poſſit, *confuſo* illo ſenſu, qui *immaterialis* voci vulgo tribuitur, talis eſſe: nempe unice & ſimpliciter *negativo*, *contradictorio*, & abſolute *oppoſito* omnibus attributis *τῦ materialis*: ſine ulla prolata *poſitiva* & *affirmativa* ſententia de taliter immaterialis indole. Unde non ſine cauſa allegare ſoleo abuſum *oppoſitionis*, inter *Actionem* & *Paſſionem*: quorum, licet *ſeorſim*, *contrariæ* agnoſci poſſint conſtitutiones: *præcipua* tamen conditio *relativa* notoria eſt, quod inter utrasque *eſſentialis* ſit *reciprocus nexus*: ut *patiens*, *qua* tale, non poſſit exiſtere ſine *agente*, & *vicisſim*.

Quum itaque *immaterialitas*, vulgato perplexo conceptu, *animam* abſolute excludat *ab omni commercio* cum corpore; *hoc ſenſu* immaterialem eſſe, in perpetuum negabo: non autem, uti certe temere inſimulor, *nullo* usquam reliquo *reſpectu*. Feliciores autem in juſta palæſtra eruere debebunt formam illius ſyllogismi, quo probetur, quod, ſi anima eſſet corpus, ſequeretur, quod omnia in corpore fiant mechanice; modo næniam illam occinere deſinant, quod corpus, *quatenus corpus eſt*, *moveat* aliud corpus. Et cum Metaphyſicis prius decernant, an Motus fiant, non *a corporibus*, aut *per corpora*, (ſecundum fundum ſuæ ſententiæ) ſed *a legibus* aut *per leges* illorum. Et an inter ſe ſimpliciter convertantur, fieri aliquid *a legibus*,

 aut

aut *per leges*, aut *ſecundum leges.* Quod autem mea argumenta ab illis, quæ Dn9 Autor format, multum differant, rebus ita conſtitutis, mirum non eſt, de nervo vero, quia inter nos convenire non poterat, aliorum erit arbitrium.

Ad Nrum. XXIII quod *Motus* nihil aliud ſit, niſi *loci mutatio*; niſi reſponſum jam eſt in prioribus reſponſionibus, nihil aliud me habere fateor, quod ulterius adferam. Ad reſponſa vero prudentum, remittenda ſunt iſta: quod *accidens corporis*, quod inquam, *corpori intuitu* eſt accidens, illud *in ſe ipſo nihil ſit, non ſit*, ſive, ut Exceptio nro. IV. differit, *numquam & plane non exiſtat.* Quia *cauſa* Motus, e confeſſo *incorporea ſit; ſubjectum* autem Motus, *in quo corpus* ſit: propterea ſubjectum *Quod*, Motus ipſe, *plane nihil* ſit. Et abuſus ille loquendi, Quod *Motus* ſit res *incorporea* & *immateralis*; quia eſt directus & verus effectus cauſæ incorporeæ, ex alterius juris canonibus judicabitur, quam illis, qui ſanciunt: *qualis cauſa, talis effectus.* Tunc demum etiam pari, nempe illo eodem jure dicendum apparebit, quod *figura* ſit res *incorporea*; dico *figura corporis veri, phyſici, actu exiſtentis*: alias enim Mathematici, qui tamen ſubinde perplexe ad teſtimonium advocantur, circa *figuram*, quatenus mente *abſtrahitur*, certe contradicent, quod talis non ſit incorporea. Ubi *nuper propugnata* ſit *materialitas* animæ, vere & abſolute talis, lector quærito; tunc demum, & non prius apparebit, impugnationes ex alia, quam Antabatarum palæſtra procedere.

Ad Nrum XXIVtum jam ante monui, quod *mutatio ſenſus* terminorum, fruſtra mihi imputetur: aut certe, cum Exceptione paſſim communis foret. Quum ubivis eluceat, quod ego longe diſertius de *Motu activo*, *Motione ut activa*, aut ad ſummum de *Motu*, quatenus *actus* & effectus eſt, non modo loquar, ſed etiam paſſim conditiones feram, quam Dubitationes & Exceptiones adverſæ. Huc tamen utique pertinet e præcedente numero illud; *non Motus* imprimit *efficaciam* corporis, ſed *cauſa Motus.* Cavendum nempe certe eſt, ne, dum *abſtractiones* metaphyſicæ cum indignatione paſſim exploduntur; alieniſſima ratione in ſubſidii dignitatem advocentur. Nempe adeo *cauſa* Motus, ſimpliciter *efficaciam* imprimit corpori,

pori, ſi his animadverſionibus ſtandum eſt, ut *Motus* plane nulla mentio fieri debeat; quod quidem per eandem mirum eſſe non debet, quia *Motus plane numquam exiſtit.* Hinc autem etiam irritum eſt, mentionem facere *cauſæ motus*; ſed unice retinenda erit *cauſa efficaciæ.* *Mirum* eſſe dicitur, quod ego non cum omnibus aliis, per vocem *Motus*, intelligam *affectionem corporis*. Sed ubi, & unde veritas hujus inſimulationis ſtabilietur? cum totus hic Mimus, per ſoccum & cothurnum, jam dudum ad laſſitudinem usque, *motum*, quatenus *corpus afficit*, perſecutus ſit, adeoque *motum*, ut *corporis* affectionem. Mirum autem longe magis erit primæ usque philoſophiæ Areopago, quod *affectio* corporis, & *effectio* corporis (ſeu *a corpore*) hic pro re una eademque ſubornentur: nempe *Paſſio* pro *Actione*, *beneficium acceptum*, pro *liberalitate*, largitione, imo *prodigalitate* propria. Imo mirum videbitur, eodem halitu, qui mihi exprobrat, quod ego *motum*, a *cauſa* ſua ſeparem; (quod de effectu & efficiente, *Actu* & *Agente*, mirum haberi, certe iterum mirum eſt) quod de Motu, quatenus affectio corporis dicitur, prorſus idem ſenſus pronuncietur. Amplius mirum erit, quod *nomine Motus*, *omnes alii* dicantur intellexiſſe, *Entelechiam*. Quorum *omnium*, imo ſolum inſignis alicujus numeri eorum, qui *Entelechiam*, ſeu Motus cauſam, *ceu* Motus cauſam, (imo ſine prima notione nominali, ſimpliciter ſolum, motus cauſam urgent) catalogus, certe eſſet res, curioſo hoc ævo non indigna. Novum mirum in argumentatione repertum; quia corpus poteſt ſubſiſtere ſine motu, ergo motus poteſt ſubſiſtere ſine corpore, ſine dubio iterum etiam aliis videbitur mirum, ſed admodum diverſo ſenſu. Ubi rurſus illud, de *rotunditate*, ad paulo ante tactam *Figuram in genere*, recidet.

„Longe autem ſane alia res eſt, ſi recte tractaretur, illud quod in fugitiva parentheſi dicitur: *merito negari*, *quod corpus ſubſiſtere poſſit ſine Motu.* Licet enim Exceptionis ſenſus ſatis in propatulo poſitus ſit; nempe, quod omnia corpora, etiam (per illam *actualem diviſionem in infinitum*) numero infinita, *ſigillatim*, ſeu *omnia ut ſingula*, & *ſingula ut omnia*, habeant *inditum*,

inſitum, immanentem, inſeparabilem Motum; tamen longe diverſa conſideratio, revera Motus, *ut actus;* & *effectus* demum, non autem ſimpliciter & immediate, *Motoris*, (Impetus, Entelechiæ, Monadis, aut quicquid litterarum transpoſitione & ſyllabarum ſono ludere placuerit) *illa* eſſe potuiſſet; quod „*circumſcriptio terminativa,* quæ *ultimam formam corporeitatis* ab„ſolvit, & unice in *exiſtere* & *eſſe* corpus ponit, revera ſit *a* „*Motu*: unius *terminos*, ab aliorum terminis, perpetuo ſui a„ctu *dimovente*, diſtinente, removente, & veluti præſcindente. Unde, ſimulatque placuerit *ſupremæ* cauſæ *Activitatis univerſæ*, *hunc motum per minutisſima* ſpatioſæ infinitatis *abolere*; eo ipſo *omnes fines*, & quidquid *finitum* dicitur, confeſtim *non erunt*. Quorſum fortaſſis reſpexerunt antiquisſimi illi Cabalæ viſionarii, (ſit venia Gallico Barbarismo) qui inter nomina, attributa, poteſtatem divinitatis referunt מקום: quod vulgatisſimo ſenſu *Locum* denotat. Sed nihil forte impedit, quo minus *Locationem, Finitionem locativam, Efficientiam locabilitatis*, non ſolum eodem, ſed merito majore jure deſignet.

Ubi profecto ego ſemper pro inani ſolicitudine habui, quæ velut unanimiter pro maxima, imo ridicule blaſphema differtur: quod forte *ſpatium Divinitati ſic ad latus ponatur.* Quum mihi penitus contrarium appareat; quod nempe abſurdum ſit, dum ſpatium hac ratione (contradicente nempe) a Deo ſecluditur: eo ipſo Deum a ſpatio ſecludere; & abſoluto infinitum, nullis inquam partitionibus diſtinctum, ſed revera abſolute unum Spatium, ab attributis eſſentialibus divinitatis ita ſecludere, ut qualiscunque de illo conceptus argui posſit, aliquid inferre, Deo, non ſolum, ut abſurde loquuntur, ad latus poſitum: ſed etiam, ut adhuc crasſius nugantur, oppoſitum. Sed abſit, ut phantaſia innocentibus his contemplationibus ſeſe immiſcendo, non mimica ſolum, ſed prorſus hiſtrionica phantasmata agitet: Die / wie die Pickelherings-Poſſen-Spiele ſich auf Schlägereyen von Blaſen mit Erbſen und Wollen-Würſten / endigen. Speculatoribus autem, longius, quam vulgus ſolet, animo proſpicientibus; hæc contemplatio certe dignior fuiſſet, in ordine ad illam paren-

the-

theſin, quam omnes Entelechiæ, tam primitivæ, quam derivativæ, impetus, vis, Motus numquam exiſtens, efficacia, ſecluſio cauſæ motus a ſuo effectu, motus ut affectio corporis immediate, leges mechanice corpus efficienter moventes, harmonia præſtabilita, ut cauſa directe efficiens, actualis diviſio, nempe diffiſſio corporum ſingulorum in infinitum, & per hanc eadem actio omnium corporum, ab omnibus, per omnia, in infinitum: & repræſentatio actualis omnium eorum, quæ omni tempore facta ſunt, fiunt, & adhuc fient, in ſingulis, a ſingulis, & per ſingula: & ſpecularis illa repræſentatio omnium rerum, uti revera actu fuerunt, ſunt, & erunt, in anima actu fiens, &c. &c. Quæ omnia & ſingula, an non magis mira apparitura ſint, ſecundum rationem tranquille contemplantibus, quam omnia & ſingula mea, in nudas admirationes adducta, arbitri erunt, qui poterunt.

Numerus XXVtus eadem chorda oberrat. Quod ſane facere non debuiſſet; ſed ſolum contentus eſſe potuiſſet Edicto ſuo, quod *Motus* (in quo hic ludit, *ut effectu*) *plane numquam exiſtat.* Non autem debuiſſet addere, 1) quod *motus* omnino *ſit Actio.* 2) ſollicite vero reticendum erat, quod *corpus*, *motus* ſui *ope*, ſit *agens.* Quum tyrocinia ſcholarum reboent: *per quod quid tale, illud magis eſt tale.* Quæ eadem eodem tumultu obſtrepent, ſtatim ſubjuncto paralogiſmo, quod *corpus*, quod motum *accipit* ab alio, ſit *patiens*, reſpectu illius *corporis*, *a quo* accepit: non autem reſpectu *Motus*, *quem* ſuſcepit. Argutabuntur enim, corpus non ſuſcepiſſe *corpus*, ſed ſuſcepiſſe *Motum.* A quo *agi*, *ferri*, *pelli*, *rapi* ſit illud *Pati*, de quo tam prolixus ſermo in effectu profunde ſilet.

Numero XXVIto, quamlibet ego facillime intelligam quid velit; ille tamen me nullatenus intellexit. Quod profecto *mirum* dici poſſet. *Genus* & *ſpecies*, *materiale* & *formale*, *efficiens* & *inſtrumentale*, non ita contemptim ad ſolos adoleſcentes, aut plane ſcabella ſcholaſtica relegari debent, ut illorum deſpectu defectus ingruant adeo inſignes. Quid autem ad *Cogitationem* & *Ratiocinationem*, tanquam operationes internas ſubſtantiarum ſimplicium, proprie faciant *congrui motus corporum*,

porum, modo his *operationibus* hi *motus reſpondeant*, perquirere licet, ſed certe per otium.

XXVIImi autem Numeri nervus, ſi comprehendi debeat, quantum ad primum membrum otium duplicatum in promtu ſit, neceſſe erit.

Quod autem ſecundo membro conceditur, *SOLIS organicis* corporibus *Entelechiam primitivam*, ſeu *animam* eſſe attribuendam; ſi *mirum* non habendum eſt, quid aliud usquam erit. Poterit autem ſtatim omnis admiratio ceſſare, & quæ vulgo ejus mater dicitur, in puram putam ſcientiam mutari; ſi ſaltem verba rectius expromantur: nempe, Singulis *organicis* corporibus ad diviſionem in infinitum usque, *Entelechiam primitivam*, ſeu *animam* eſſe attribuendam. Ita enim unice, & nulla alia ratione ſalvabitur exiſtimatio totius hujus operoſæ diſceptationis: cujus nempe alpha & omega erat, quod ſimpliciter & abſolute *omnia collectim*, & *ſingula ſeorſim in infinitum*, corpora *ſint ORGANICA;* non ſaltem *QUIA* mechanica, ſed *UT* mechanica, penitiſſime *ſynonymice*.

Quod autem *Seneca* in primo limine indignatur, & temere inconſulteque viventi Rationi tribuit, quod *beneficia* neque *dare* ſciant mortales, nec *accipere*; id ſane hic loci oppido exemplum infert. *Liberalitas* videri debebat *conceſſio*. Ego illam vel *accipere* non poſſum, ſuſpicax, quod *bona fide* non præſtetur: præſertim quum non ſtatim hic deſinat, quod omnino decuisſet, exprobratio: vel certe, ſi optima fide decerneretur, non potuiſſem *beneficii* loco, ſed juſtiſſimi *debiti* ponere, quod poſt tot chartæ & temporis diſpendia demum offerretur, *CONCEDO*.

Unde etiam, quod Nro. XXVIII. non admittatur, ſola *figurabilia* phantaſiæ ſubjacere; ego jure talionis non admitto, *ſonorum*, *odorum*, & *ſaporum* dari *phantaſiam*: ſed ut tamen æquitas mea innoteſcat, non *ſimpliciter* obſtinate refragabor, ſed feram conditionem. Admittam hæc omnia, ſimulatque, quisquis Exceptionis aſſertioni, vel patronus eſſe amat, vel advocatus; ex omnibus hominibus, ulli uni, e propria ſua phantaſia, perceptibile, in alterius iſtius phanthaſia reddiderit; quomodo

ulla

ulla ſpecies rerum ſapidarum huic nondum cognita, ſapiat, aut *odor* oleat: aut *ſonus* (abſque ullo auditu) diſcerni poſſit. Cujus poſtremi auſus promptiſſimum eſſet documentum dare, in *ſurdo a nativitate*: ut in *cæco a nativitate*, aut ab infantia, informatio pro diſcernendis *coloribus*, ſola *phantaſia*.

Ad XXII.

Qui penetrationem dimenſionem negant, nihil aliud intelligunt, quam corpus in alterius locum ſubire non poſſe, niſi ipſo expulſo. Itaque non video, quid ad rem faciat diſceptatio de diviſione; niſi quis terminorum ſignificationem ſine neceſſitate mutet. Monadas corporeas nullas agnoſco, cum omne corpus habeat partes, atque adeo non ſit res ſimplex ſeu Monas.

Ad XXII. Exceptionem Replicatio.

Ad Exceptionem XXIIdam, neſcio an operæ pretium ſit reponere illud: tu ais, ego nego. Quod idem valet de Exceptione XXIII. Quod, ſi in ſubjecto moto a Motu, aliæ ſequantur mutationes, quam ſimpliciter Loci; tam Motus nihil aliud dici poſſit, quam localis, ſeu Locationis mutatorius: quam corpus alias mutationes ſubire a motu, quam locales ſeu Loci ſui.

Ad XXIII.

Non eſt, alius motus quam localis, etſi alia ſit mutatio quam localis.

Ad XXIV.

An inutilis ſit uſus ſalium volatilium Urinoſorum facti quæſtio eſt, circa quam autorem *Reſponſionis* cum aliis Medicis committo.

Ad XXIV. Exceptionem Replicatio.

Exceptio XXIVta, ſi animo ſediſſet bene compoſito; Dubitatio, ſive, ut haberi contendit, animadverſio, inutili & omnino alieno labore ſuperſedere debuiſſet. Uti ſane ſemper optandum manet, ut *ignoti nulla* eſſet *cupido* &c. Ad quæ certe eximie pertinet Exceptio XXVta, in ſolidum ignorans, quid inter Philiatrorum tyrocinia diſtinctio inferat *Altera-*

tionis, in *comparatione* ad Evacuationes; & contra, in *ſubordinatione* ad eaſdem. Si enim hoc recte notum fuiſſet, numquam hic demum, non tam pro mei informatione, quam prorſus pro oppoſitione, verbum de his addendum fuiſſet. Opium aut Chinæ corticem evacuantia eſſe cum nemo dicat, cur hic demum docetur? An vero *adſtrictio*, ut *oppoſitum* Evacuationis, (legitimo ſenſu) *ſimpliciter* ſit Alteratio? quis interrogabit? Quilibet autem attentus Medicinæ ſectator ſtatim docetur, Alterationem Medico uſu potius *pragmatico*, nempe plurimum ad praxin faciente, quam ſimplici verbali ſenſu, κυρίως intelligi *materiarum*: δευτέρως *Motuum* &c.

Ad XXV.

Aſſertum erat, alterantia medicamenta eſſe raram avem in terris: objectæ ſunt inſtantiæ. Fruſtranea contra eas exceptio eſt, alterantia eſſe præparatoria ad evacuationem. Quid tum? an ideo minus alterantia ſunt? manet etiam verum, nec niſi dictatoria pronunciatione refutatur, quod experimentis conſtat, aliquando evacuantia non prodeſſe quia evacuant, ſed quia alterant. Neque etiam ad Opii aut Corticis Peruviarii inſtantiam reſpondetur, quæ utique alterant ſine evacuatione, aut præparatione ad evacuationem. Ut voluptatis exceſſus tranſit in dolorem, ita generoſa medicamenta accedunt ad naturam venenorum, quæ utique Alterantia ſunt.

Ad XXV. Exceptionem Replicatio.

Omnino vero, quod No. XX. Except. 21. a Dno Autore dicebatur; an ego hoc loco non poſſim æquiori jure allegare, prudentis lectoris arbitrio permitto. Nempe: quod in dubitatione 24. de venenis, & nominatim Arſenico, temere pro febrifugo exhibito dictum eſt, (& hic in genere repetitur, quod venena ſint alterantia) *recte quidem pronunciatur*, *ſed non recte objicitur*, ſeu *infertur*. Licet enim ego ipſe, (menſe Novembri inter menſtrua illa ſchediaſmata) ſententiam illam protulerim, quod Arſenicum effectum illum febrifugum interdum exhibeat, majoris mali terrore Naturæ incuſſo: nullatenus

tenus tamen comprehendo, quomodo hanc locutionem eodem *intelligibili* ſenſu, quo mihi favet, Ipſe pronunciare poſſit, ut ſuis opinionibus reſpondeat. Omnino enim, ut in genere *moleſtia*, & inde *irritatio*, ita maxime omnium *terror*; quomodo (vel in genere) dici poſſint de *machina corporea*, quantumcunque ab & ex ſe ipſa mobili declarata, averem certe ita explanari, ut diſtincte intelligi poſſit: Ita in ſpecie, in ordine ad febrium negotium. Unde certe, quam parum hujus genii diſceptationibus ſatisfaciant interſcenia illa, uti hic de *dictatoria* pronunciatione, facile diluceſcit.

Monitum illud de *raritate* Alterantium; non confuſo aliquo conceptu, ſed ad *pragmaticam* veritatem ſtricte dictorum, quatenus Evacuantibus, non tam in ſubordinatione, quam *ſimpliciter* contradiſtinguuntur: non certe ita otioſum eſt, uti inconditæ tales interlocutiones circa diſtinctionem illam, merito notiſſimam, ita implicatæ, ut ſe extricare non valeant. Quis enim credere auſit, quod vel Dubitatio, vel Exceptio pro novo invento ſcholis medicis largiri velint diſtinctionem inter Alterantia, *ſubordinationem* erga evacuantia inferentia; & *ſimpliciter* talia. In qua vero ſchola hoc non diſcitur, quod notiones primæ, ſeu nomina ſimpliciter prolata, in *propriisſimo* ſignificatu accipi debeant: nempe *ſimplicisſimo*: *conditione* demum adjicienda, ſi *conditionate* ſumendæ veniant. Ita nempe tam promptum utique, quam pronum eſſe poteſt, indiſcretis tricis, magis circa verba, quam ullatenus utiles res per otium indulgere: ignarum interim & parum curantem, quomodo hujusmodi confuſiones rerum ipſarum talium in quotidiana praxi, pandemio abuſu, immani numero ægrorum peſſime cedant. Quamvis enim, qui alia habent, quæ æquiore jure curare deberent, ſine ullo pudore neſcire posſint, quantum confuſionis, etiam ab omni ævo, exquiſitisſime vero, ſterilioribus his poſtremis temporibus in artem medicam ingeſſerit, hujus doctrinæ non pro dignitate, & fundamenti loco diligentisſime facta commemoratio; & omni data occaſione, ſcientiæ & conſcientiæ invigilantibus artis ſectatoribus refricanda memoria: non certe eodem lo-

eo ſtare poſſunt illi, qui hoc muneris ſibi incumbere ſentiunt, ut tirones, aut quoslibet, nondum ſatis talium rerum gnaros, in publicos uſus generis humani, tanto magis de his rebus inſtruant & admoneant: quanto magis perſpectum habent, quam parum & perfunctorie talia, vel pro vero ſuo pondere inculcari: vel ad minimum condigne æſtimari, & neceſſariis uſibus prudenter applicari, ſed omnia alia obſtinatiſſime agitari ſoleant: uti in ſummum ægrorum detrimentum quotidiana exempla oſtendunt. Unde, quod Exceptione 24. prorſus appoſite facit Dn9 Autor, ut circa negotia medica, medicos cum medicis committendos eſſe, tandem recordetur: ſi ſemper animo infixum manſiſſet, multum chartæ, ſed tanto plus pretioſi temporis utilioribus tractationibus impendi potuiſſet. Mihi ſatis eſt, (quod ſine vanitate dico, ſed potius, Divinæ benedictioni in acceptis fero) quod longe lateque, memorabilis compareat numerus honeſtiſſimorum Virorum, tam de certa ſcientia, quam ſuffragio praxeos, pro utilitate periclitantis proximi ſollicitorum; qui non erubeſcunt teſtari, quod ſeria commendatio & oſtenſio, quin admonitio & inculcatio de hoc & ſimilibus negotiis, non ſolum utilis, ſed etiam neceſſaria ſit; nec usquam improbant, ſed ſuffragiis ſuis liberaliter firmant, cœptum illud meum, uſus & abuſus circa vere medicam doctrinam, ingenue, cordate, & intrepide, oſtendendi. Illum, quem merentur locum, aſſignantes elogiis illis, ab alia indole mihi tributis; quod hæc omnia cœperim & ſuſceperim, ut præ aliis ſapere viderer, aliis contradicerem, imo, (unde nempe magnus honor victori immineret) cum aliis contenderem, &c. Ἀλλ᾽ ἤτοι μὲν ταῦτα Θεῶ ἐν γούνασι κεῖται,

Ad XXVI.

Cum *Reſponſio* toties ad Animæ actiones confugerit, incongrua ſibi amolientis; cur noluit pati, ut diceretur, irritatione moleſta nos ad expellendum ſtimulari? An quia alii dixere? interim recte aſſerit, omnia impulſione explicanda eſſe. Idem ſentiendum eſt etiam de illis, quæ ex animæ affectibus derivat. Nam ut ſæpe monuimus, etſi ad appetitum animæ,

mæ, non tamen per appetitum, ſed per leges mechanicas impulſum res in corpore fiunt.

Ad XXVI. Exceptionem Replicatio.

XXVIta Exceptio denuo dubium me reddit, utrum omnia tam prolixe, & in Dubitationibus & Exceptionibus hiſce memorata, ſerio, an vero luſus (ſi non prorſus ludibrii) gratia, ita in medium prolata ſint. Quis enim credere poſſit, a grammatica potius, quam usquam rethorica phraſeologia, ita in transverſum recedendi, ullam cauſam fingi poſſe, ut uſitatiſſimus ſenſus vocabuli Moleſtiæ, ſive in ſeipſo, ita prorſus in alienam acceptionem trahi poſſit: ſive ulteriore ſermonis formula, tam prorſus aliena ab inſtituto, proferrentur. *Moleſtiæ* & *Irritationis*, vocabula, ad *puras machinas*, & quamcunque *corporis* efficaciam, nullius linguæ uſu usquam quadrare, quis negare poteſt? De qua vero alia re ſermo usquam fuit, niſi unice de alienisſima illa vulgi talium, crepera declamatione, quod *Machina*, *ſimplex*, & *qua talis*, *irritetur*; ad *reſiſtendum*, *propellendum*, & quanto magis premitur, tanto violentius erumpendum, & *moleſta excutiendum*. De his rebus quum (quod jam dudum conqueſtus ſum, certe *ſterilis* & ſupervacua) *contentio* intentata ſit; monui, actum *Moleſtiæ*, & inde *Irritationis*, nullo modô quadrare poſſe, in *machinam*: ſed ſoli alicui, cum *intentione*, & *contentione activa*, *propter finem*, & *ad finem Agenti* deberi. Quid ad hæc Exceptio adferat, judicet, quisquis poterit.

Divinari autem certe oportuerit, quid ad hunc ſtatum quæſtionis inferant verba illa: noluit pati, ut diceretur, irritatione moleſta *nos* ad expellendum ſtimulari? Certe talia, ab hoc diſceptatore, quod ſincerisſime teſtor, ne ſuſpicatus quidem umquam eſſem, nedum expectaviſſem. Ut nihil dicam de proletaria illa exclamatione: *an*, *quia alii dixerunt.* Quaſi vero tandem Ego ille haberi meruerim, quem ſomnia, etiam vigilantium in fermentum agere poſſent. Certisſime autem plane alia re, quam hujus commatis narratiunculis, opus fuiſſet, ad recte ſentiendum de eis, quæ Ego ex animi affectibus derivaverim.

Iterum autem, iterumque e vero grammatico ſenſu ſtabiliendum eſt; quomodo ad propoſitum quadrare poſſit, formula illa loquendi: quod res in corpore fiant impulſu, non *per* animæ appetitum, ſed *per leges* mechanicas. *Ab* appetitu, aut *per* appetitum animæ Motus fieri, ſi quis umquam dixit, ubi poterit monſtrari, quod ego dixerim? *per leges* mechanicas hoc præſtari, ſæpius quidem *dicunt* Exceptiones, ſed ſtudioſe vitant *probare*.

Ad XXVII.

Quid ſit Harmonia præſtabilita nunc demum ex iis credo intelligetur, quæ dicta ſunt ad Num. 21. itaque quæ hic contra diſſeruntur ſcopum non feriunt.

Ad XXVII. Exceptionem Replicatio.

Ad XXVIImum quid aliud ſit *harmonia præſtabilita*, quam quod ego recte & ordine conjeci; unde quæſo intelligere potuiſſem, ex omnibus aut ſingulis, quæ Exceptione XXI. dicta ſunt, ne quidem nomine hujus harmoniæ ſerio repetito: tantum abeſt, ut ſcopum ſibi propoſitum ferire potuiſſet.

Ad XXVIII.

Quæ hic diſputantur in prioribus expedita ſunt.

Ad XXVIII. Exceptionem Replicatio.

Unde etiam, quod Exceptionis XXVIIIvæ nomine ſcribitur, jure meritoque, e meo latere, totidem verbis repono.

Ad XXIX.

1) Non video, cur anima ſemper corpori ſuo timere debeat. Hoc foret in perpetua anxietate verſari, quod autor alibi merito diſſuadet. Nulli minus ſani ſunt, quam qui perpetuo de ſua ſanitate ſoliciti ſunt. De animæ energia aliisque hic recurrentibus jam ſatis dictum eſt.

2) Reſponſio nunc affirmare nunc negare videtur, Animam eſſe immaterialem. Hoc loco autem mentem ſic explicat, animam ideo non eſſe materialem, quia non careat propria activitate. Sed hoc argumentum parum probat: omne corpus, quod in motu eſt, propriam activitatem habet, neque ideo immateriale dicitur, & ſi aliquid immateriale nempe Entelechiam primitivam contineat. Cum vero ex Reſponſionis mente appareat, animam eſſe diviſibilem ſeu extenſam, & poſſe impellere corpus, adeoque habere antitypiam ſeu reſiſtentiam; non video, cur non ex ejus mente, anima revera ſit corpus: ut adeo mutato nomine anima pro ſpiritibus animalibus ſubſtituta videatur: diſcrimine conſiſtente in neſcio quibus ἀῤῥήτοις, quæ merito pro nullis habentur. Veluti quæ dicuntur de motu per ſe ſubſiſtente extra corpus, de perceptione & appetitu rei extenſæ, aliisque

que id genus, quæ dici poſſunt, intelligi non *poſſunt*. Ad quæ redire poſt recentiorum detectiones, eſt inventa fruge glandibus veſci.

Exceptio XXIXna iterum ludit in vocabulo *timere*. Ut enim nihil dicam de abſona illa philoſophia, *timere inanis* eſt actio *moleſta*, imo variis modis *noxia*; ergo *plane non ſit*. Et de ejusdem ponderis altera: *quod diſſuadetur*, illud non fit &c. Certe inanis eſt captatoria illa deriſio *timoris*; ubi *certum* & *perpetuum*, quin *momentaneum* incumbit *periculum*. Quis enim tam imprudens eſt, ut adverſus incumbentia pericula, proportionatam *vigilantiam*, certe inſenſata philoſophia, ludibrio habeat? tanto magis, cum vigilantia hæc etiam proportionem habeat ad *efficaciam*; ut nempe *vigilantiſſime* obſervata pericula etiam vere *poſſint intercipi*. In cito prævaleſcentibus autem periculis *trepidationem* cooriri, præſertim in eo usque ſecurioribus animis, quis dubitare auſit. Unde forte melius actum eſſet, ſi potius e *mechanicis* illis declamationibus aliquid firmi ſtabilitum eſſet adverſus illam theſin, quam ego, ſi quisquam ante me alius, gnaviter certe demonſtravi: *quod corpus animale utique* in rei veritate *ſit ejus indolis*, *ut in corruptionem deſtructoriam præceps propendeat*. Hoc negare, imo negatum dare, alius certe fuiſſet ponderis, quam ſimpliciter conſequens negare, quod huic ullo jure *invigilandum*, *ſolicite* proſpiciendum, & (vel ſtoico ſenſu rationi conformia media, non Cynice aſpernanti) *timendum* ſit. Unde iterum ſimpliciter repeto, Exceptionis epiphonema: *de animæ energia aliisque hic recurrentibus jam ſatis dictum eſt*.

Quomodo autem ſine tædio toties repetitum legi poterit argumentum illud de *propria activitate*. Quæ, quum ſimpliciſſimo ſenſu, non ſolum a me adſcripta ſit *animæ*; ſed etiam ab Exceptionibus *Entelechiæ*; & per hoc ipſum, a me, *anima*, & ab his, ſolenniſſime, *Entelechia* illa, pro *immateriali* declaretur: hic iterum nænia illa occinitur; quod *corpus*, (ſed tamen *quatenus in Motu eſt*) *propriam activitatem* habere concludatur.

Sicut etiam illud, quod anima, ex mente mihi afficta, *propter diviſibilitatem actionis*, revera debeat eſſe *corpus*; certe verius chimericis ἀῤῥήτοις hypotheſibus ſuperſtruendum fuerit, quam quarum ego inſimulari poſſim. Nempe, Motui *numquam exiſtenti*, & quia *non habet partes ſimul*, *nullas* partes, aut partitiones *habenti*: &, ſi ſit effectus *Entelechiæ*, ſive *primitivæ*, ſive *derivativæ*, utriusque tamen *immaterialis*, non ſolum aliquid *immateriale*, ſed *plane non*, adeoque *nihil* exiſtentis & Domitianæ illi quæſtioni: an *immateriale*, quale ſtabiliuntur eſſe *Entelechiæ*, poſſint eſſe *in corpore*, *cum corpore*, & *agere in corpus*, & *per corpus*. De quibus rebus cujuslibet arbitrium facio, utrum dici poſſit, (quod de me hic dicitur) quod *videantur*, *nunc affirmare*, *nunc negare*; & non potius, craſſiſſimo modo, diſerte *nunc affirment*, *nunc negent*.

Non debuit tamen finem aſſequi verboſa hæc diſcurſatio, quin, ſub ipſum exitum, novam *umbram* excieret; *ſpiritus animales*, qui alias ab his Exceptionibus

bus pro derelicto haberi potuiſſent. Niſi quidem illud *impetum faciens*, ſubrepere & obrepere debuerit. Unde, quum *Entelechia derivativa* ſuperius dicatur ipſe *impetus*, (ſed tamen *res immaterialis*) hic iterum novo philoſophemate opus fuerit, (ſed mihi nullius uſus) an *ſpiritus*, impetum facientes, ſint ipſe *impetus*, aut *efficiant* impetus, aut ſint *prima* corporea *materia*, ſeu *ſubjectum impetus* &c. quod tamen, quia tam *Entelechia primitiva*, ſeu *anima* (ut diſerte profitetur Exceptio XXI.) *omni* corpori ineſt, iterum ἄκυρον fuerit dicere: quum *ſpiritus animales*, non niſi *ſyſtematibus* corporeis adſcribi ſoleant; quæ vulgatisſimo ſenſu *animata*, imo ſtrictiſſimo, *animalia* dicuntur, affingantur. Eo usque certe nova talia inventa, non modo fruges non ſunt, ſed nullo modo frugi ſunt: & nimio magis proprio jure, glandivoris apponerentur.

Ad XXX.

Monades phyſicas ſeu corporeas non dari ſatis oſtenſum eſt; Ego per Monades intelligo ſubſtantias ſimplices, atque adeo incorporeas, quæ nihil habent ad extenſionem pertinens. Hæ ſolæ Monades admitti poſſunt & debent.

Ad XXX. Exceptionem Replicatio.

Numero XXX. propoſitum Ed...um, quos tenere debeat, naſci demum adhuc debent, vernæ. Qui ſoli demum agnoſcent illam probationem, quod ex illo argumento, *corpus non moveri poſſe*, *niſi* a *corpore contiguo*, & illo quidem *moto*, probati dentur ſpiritus animales. Et quod, quum *omni* corpori, *naturaliter* inſit *propria Monas*, ſeu *Entelechia*, *motrix*, omne tamen corpus, moveri demum neceſſe habeat *ab alio* corpore moto &c. &c.

Videat igitur quilibet, quid *tanto conatu*, *apparatu* & tanta *chartæ*, *verborum*, *temporis* & *autoritatis* prodigalitate actum ſit, & peractum. Ego nihil aſſequor, niſi NIHIL.

Ad XXXI.

(1) Spiritus animales ſeu fluidum impetum faciens probavi generatim ex eo, quod corpus non niſi a corpore contiguo & moto naturaliter moveri poteſt; niſi quis ad Mimæricas Cauſas recurrere malit. Speciatim autem adduxi inſtantiam de motu cordis ex corpore avulſi, ubi jam ab anima animalis non actuatur, niſi quis eam quoque pro parte evulſam putet, atque adeo revera in corpus transmutet. Sed hæc quoque in prioribus jam ſunt diſcuſſa.

(2) Hæc ad Reſponſionem replicare viſum eſt ex multis, quæ occurrebant; excerpendo ea, quæ maxime in rem eſſe videbantur. Nam ſi omnia, quæ moveri poterant annotare voluiſſem, extitiſſet *Replicatio* in librum ingentem, & futura fuiſſet tanto prolixior *Reſponſione*, quanto reſponſio prolixior fuit Animadverſione.

FINIS.

n°. 26

4 ₶. 10 ſ.
1721.